

Magy. Fört.
Folio 253.

Acta 2 Kor:
müller 30/12 900

CHRONICON HVNGARORVM POSONIENSE

E COD. MS. CHARTACEO CAPITVLI POSON.

NVNC PRIMVM EDITVM

Q V O

3372

FAVSTVM AVGVSTISSIMI IMPERATORIS ET REGIS APOSTOLICI


FRANCISCI IOSEPHI I.

IN REGNI METROPOLIM ADVENTVM

DIE V. IVNII M.DCCC.LII.

CELEBRANT


BIBLIOTHECA ET TYPOGRAPHEVM REG. VNIVER. HVNGARICAE.



B V D A E,

TYPIS ET SVMPTEBVS EIVSDEM VNIVERSITATIS.

M.DCCC.LII.



951407

EMILIO ZUCCHETTI

LA MAGGIORANZA DEL PARLAMENTO

IL CONSIGLIO DI AMMINISTRAZIONE

HA APPROVATO

LA LEGGE

RELAZIONE

DELLA



A MAGY. TUD. AKADÉMIA
VIGYÁZÓ FERENC
KÖNYVTÁRA
2405. sz.



IAM satis constat, multos antiquis rerum hungaricarum chronicis, ubi ab extraneorum differant narrationibus, vel iisdem inaudita memorent, omnem fidem denegasse, quasi fabellas inconditas traderent, carmina potius quam res gestas. A quo tamen tempore ea, quae posteriorum memoriae cantilenis tradita sunt, invicem et cum medii aevi scriptoribus comparari coeperunt, iam certum habemus, eadem non mera commenticia esse, imo plurimum res reapse gestas referre, quamvis, confusa saepe chronologia, ac, ut nunc dicere mos est, subiectivo intellectu comprehensas expositasque; denique, a quo tempore ars critica non minimam eorum partem, quae antiqua chronica continent, traditionibus popularibus inniti observavit, archaeologicae quoque investigationes recentissimo aevo factae harum veritatem passim demonstrarunt: chronica etiam nostra sibi auctoritatem fontium rerum hungaricarum reposcunt.

Nunc demum studia, quae antiquitatum has reliquias, scilicet chronica, amplectuntur, ante omnia id disquirendum habent, num etiam eadem pro authenticis habendae. Quod quidem ita tantum affirmare poterimus, si certo scimus, quanam in iisdem e traditione, quaeve e monumentis scriptis, licet iam oblitteratis, deprompta sint: Tum demum certi aliquid de cuiusvis chronici momento, ut fontis rerum gestarum, statuere poterimus. Id vero nihil aliud est, ac ostendere, *quanam sit genesis textus, ut vocamus, chronicorum*; quod ipsum requirit, ut cuiusvis chronici verba cum omnium, quae aetatem tulerunt, aliorum verbis conferamus.

Ad hos dies e nostris antiquissimae historiae fontibus, praeter Anonymum Belae Regis Notarium, qui nulli e ceteris affinis, vix ullam eorundem genesi lucem affundit, ea tantum vetusta chronica typis exscripta sunt, quae in compilationibus Kézaianis, budensibus et Turócianis continentur. Qualemcunque autem opinionem de eorum pretio habeamus: tantum abest, ut in his se continere scrutator historiarum possit: ut et ipsa ex aliis chronicis, quamvis mutatis, interpolatis et continuatis, conflata sint: diversa tamen e diversis referant, quibus omnibus iam eadem auctoritas tribui nequit. Quare omnia, quae haberi possunt chronica, accurate comparare oportet, quamvis nec ita, quae singulis locis fides per historiarum scrutatorem danda, ubique exploratum habebis, cum codices nostri seculum XIV. non excedant, imo ipsi horum compilatores iam non autographis, sed apographis antiquiorum, et ni fallor seculi XII. codicum, usi sunt.

Iuvabit hic breviter recensere *compilationum harum secundariarum* codices illos, qui utique iam recentioris aevi, ad nos devenerunt, quosve, ad eruendum primitivum eorum textum, inter se comparare necesse est. Tales sunt

I. Ii codices manuscripti, qui *compilationem Simonis de Kéza* complectuntur, quem Engelius noster post Anonymum B. R. N. perperam genuinum historiae hungaricae proauctorem et omnium chronicorum nostrorum fundamentum esse praedicavit: cum ipse etiam, quoad res suum aevum antecedentes, non auctor, sed merus transscriptor fuerit. Eius compilationem continent:

1. Codex P. Eugenii Kósa membranaceus, nunc iam perditus, ex quo Horányius suum Kézaium Anno 1782. bis edidit. *Apographum* eius quondam Batthyánianum nunc in bibliotheca Academiae Hungaricae conservatur.

2. Codex Pauli quondam Principis Eszterházy, kismartoniensis, membranaceus, in quem ante decennium circiter, sed proh dolor! frustra, indagavi; cuius tamen duo existunt *apographa*: alterum Gabrielis Hevenesi, Anni 1701., in bibliotheca Universitatis nostrae asservatum; alterum, Anno 1705. confectum, bibliothecae Telekianae, quae Maros-Vásárhelyini est. Ex apographo priori edidit cl. Podhradczyus Kézaium suum, e ceteris simul chronicis emendatum, variantibus lectionibus illustratum, et in §-os distinctum. Budae, A. 1833.

3. Codex Ioannis quondam Sambuci chartaceus, opinione cel. Kollárii seculi XIV-ti exeuntis, iuxta Endlicherum XV-ti, iuxta Engelium plane XVI-ti, qui cum tota fere antiqui possessoris supellectili libraria a morte eius bibliothecae Palatinae Vienaensi illatus est, et ex quo laud. Kollárius Anno iam 1766. Commentariis suis Lambecianis primus Simonis de Kéza mentionem iniecit. Itidem ex hoc codice inseruit illum Endlicherus noster Monumentis suis Rerum Hung. Arpadianis Anno 1849. Sangalli impressis, sed, quod summopere dolendum, resecta continuatione anonymi, quae usque Caroli I. Regis mortem progreditur.

II. *Chronicon Posoniense*, in MS. codice chartaceo bibliothecae ven. Capituli Posoniensis temporibus adhuc cel. Pray superstes^{*)}, quod post enarrata hunorum facta, res hungarorum usque ad Annum 1330. compendio perstringit. Hoc propria manu exscriptum, idem cel. vir MSSorum suorum tomo XXIX. inseruit, ibidemque haec adnotavit: Habentur in eodem MS. codice „Peregrinationes Jerusalem et tocius terre sancte sub anno Domini M CCCC XLIII. secunda die post Vdalrici episcopi finite.“ Characteris quidem ductus sunt longiusculi magis, quam in laudato chronico, cetera autem pene aequales, uti etiam orthographia; litterae *i* non puncta, sed caudae acutae in hunc modum *í* adduntur in chronico. Arbitror eiusdem seculi XV. scripturam esse, *autographum autem sub Carolo Roberto confectum*, quod cessat ante caedem Carolo intentatam, et Mag. Turóc in Solilo-

^{*)} E recentissimis, die nempe 27. Maii a. c. ad me datis RR. collegiati capituli Posoniensis Canonici, Nicolai Cherrier literis edoceor, illud in eadem bibliotheca, ob brevitatem temporis, frustra quaesitum fuisse.

quo diserte fateatur se usum exemplari, quod sub Carolo Roberto et Ludovico conscriptum fuerit. Constat autem hoc MS. chronicon 13 foliis, et media facie unius folii. Ita Prayus noster, a quo tamen mihi dissentiendum videtur: tam in eo quod illud sub Carolo Roberto *confectum* statuatur, cum illud, aequè ut Kézaius, vetustius saltem chronicon continuaverit; quam intuitu Turócii, qui, ut mihi diu iam persuasum habeo, non alium, quam illum exscripsit textum, quem codex viennensis mox laudandus continet. Primam, quantum scio, mentionem huius chronici, Prayus ipse Anno 1774. iniecit in Dissertationibus suis Hist.-Criticalibus, pag. 75., et postmodum illo sub nomine *Chronici Posoniensis*, saepius tamen chronici sub Carolo R. confecti, in Annalibus, in Hierarchia sua, atque in Historia Regum feliciter usus est. Diligentius adhuc expilavit illud meritissimus Podhradczkyus, eoque tam Chronicon Simonis de Kéza, quam Budense egregie illustravit.

III. *Chronicon Hung. Vaticanum*, res stricte hungaricas usque ad Annum 1334. complectens, quod cel. olim historiae dalmaticae scriptor, Ioannes Lucius possedit, et, ut ipse refert, tum eius diuturnae incolumitati, tum conferre volentium commoditati consulere cupiens, in bibliothecam Vaticanam reponendam curavit, insignitum numero 6526. Vsum eius vir praestans in excellentibus suis Commentariis, qui primum Anno 1666. Amstelodami in lucem prodierunt, non raro cepit; variantes vero lectiones e Turócio Bongarsianae editionis excerptas Inscriptio- num Dalmaticarum libro, Venetiis 1673. impresso, adiecit.

IV. *Chronicon Viennense*, ita communiter appellatum, quod illud bibliothecae Palatinae Viennensis cimelium sit; ob multas elegantesque quibus ornatum est picturas, nostris *Képes Krónika* dictum, Anno 1358. in membrana exscriptum: prima sui parte hunica, secunda vero hungarica continens, et dum integrum erat, Caroli I. res absolvens, nunc vero in Anno 1332. deficiens. *Apographum* eius chartaceum Anno 1462. confectum de praesenti bibliothecam Academiae Scient. Hung. ornat, sub cuius sine hoc colophon legitur:

Ista cronica est incepta p thomam clericum de U. et finita est p me Anthonium de Endressalwa natq pauli ssecz Scripsimus q; domino Benedicto plbano de Bowath natione de Senpetherwasara Sub Anno domi Millesimo quadringentesimo Seragesimo Secundo De cronica dezpoti de scripta qua Illustrissimus princeps rex fracie eidem domino dezpoto in preclarum munus pretullerat ecc

Ex quibus mihi persuasum habeo, chronici huius codicem nunc Palatinum, per Ludovicum I. regio splendore adornari curatum, quadam occasione Carolo V. Galliarum regi xenii instar missum fuisse; sic enim fieri potuit, ut post seculum a rege itidem Galliae, qui tunc Carolus VII. erat, Stephano Brankovicio Despotae in

munus missum sit: sed iam tunc ultimis foliis truncatum: cum ipsum apographon, ex hoc exemplari Despotae desumptum, cuius nunc meminimus, eodem plane vocabulo („*quatenus*“) finitur, quo exemplar hodie Palatinum abrumpitur. Turócium, aliud, integrum quippe, exemplum prae manibus habuisse, e compilatione illius ultro patet. Recentius *transscriptum* in bibliotheca Telekiana Maros-Vásárhelyini habetur.

V. *Chronicon Budense*, ita appellatum, quod Anno 1473. typis Hessianis Budae exscriptum est. Edidit illud secundis curis cl. Podhradczkyus, aequè Budae, Anno 1838., e duplici *apographo*, altero per Io. Menestarfer, Artium Doctorem, Decretorumque Licentiatum Viennae Anno 1481. confecto, quod inter MSS. Hevenesiana bibliothecae Vniversitatis nostrae asservatur; altero Antonii quondam Ocskay Bacensis tunc Episcopi; postliminio autem cum prototypo bibliothecae augustae vindobonensis per cl. virum Gustavum Wenzelium in Vniversitate nostra Iurium Doctorem, collatum et emendatum: cum unicum, quod tunc in patria exstitit exemplar, et e bibliotheca Sigismundi quondam Báthori Transylvaniae Principis per varios casus Museo tandem Nationali Hungarico accessit, ob tristis memoriae inundationem metropoleos eo tempore loco motum, editori non suppeditavit. Complectitur compilatio haec res hunicas et hungaricas usque Annum 1468. productas.

VI. *Chronicon Dubnicense*, codex chartaceus bibliothecae quondam comitum Illésházyorum Dubnicensis, unde ei nomen,

nunc e nobili oblatione ultimi Illésházyi, cum omni eius re libraria, Musei Nationalis cimelion; de quo primus omnium Endlicherus noster Anno 1826. disseruit, et una nonnullas illi proprias partes iuris publici fecit. Praeter hunorum res, historiam hungaricam usque ad Annum 1468. seriatim complectitur; posteriora usque Annum 1479. non servato annorum ordine perstringit.

VII. *Chronicon Ioannis Turóci*, quod primum sine nota loci et anni, at certo Venetiis ante Annum 1485, prout hoc in dissertatione quadam academica (Magy. Acad. Értesítő, 1850. fascic. VI.) monstravi, prodivit; postea 1488. et Brunae et Augustae Vind., inter Scriptores Rerum Hungaricarum Bongarsii et Schwandtneri autem saepius recusum.

Haec sunt fere principium quasi et fundamenta vetustioris historiae patriae. Sed exstant alia quoque, partim antiquiora monumenta, quibus ipsi horum chronicorum compilatores uti sunt. Talia sunt Hartvici et anonymorum quorundam Hagiographorum nostrorum *legendae*, utpote de SS. Stephano, Emerico, Gerardo, Ladislao etc. Talia sunt porro *annotationes* certae, plurimum per pios monachos variis ecclesiasticis libris ad instar annalium inscriptae, quoad eventuum historicorum narrationem nimis quidem ieiunae, eo magis tamen chronotaxi inservientes. E posterioribus commemorare placet: 1. *Chronicon codicis Prayani*, bibliothecae quondam Capituli Posoniensis, quare Endlicherus illud Chron. Posoniense appellat, nunc vero Musei Nationalis Hung. Hoc, maiore sui parte seculo XII. conscriptum, a

Prayo crebro in usum vocatum, primum tamen nisi per cel. Kollerum Anno 1782. in Appendice Historiae suae Episcopatus Quinqueecclesiensis, denuo autem per Endlicherum inter Monumenta sua Arpadiana prociusum; ab Anno 997. usque ad Annum 1241. procurrens. 2. *Chronicon anonymum Kovachichii*, quod vir hic, circa rem patriae historicam meritissimus, Scriptoribus suis Rerum Hung. Minoribus Budae Anno 1798. sub titulo „Seriei Regum Hung. a primo ingressu Hungarorum in Pannoniam A. C. 200. usque ad Mathiam I. Corvinum A. 1490.“ inseruit. 3. *Chronicon Varadiense* sub Ludovico I. conscriptum, ac antiquis Capituli Varadiensis Statutis hoc titulo: „De nominibus et temporibus regiminum Regum Hungariae“ interpositum, ac per summum quondam Transylvaniae Antistitem Comitem Igu. de Batthyán, in tertio Legum Eccl. Hung. volumine, Claudiopoli Anno 1827. editum. Cum hoc ad verbum congruit *Chronicon* sic dictum *Zagrabiense*, libro Statutorum Capituli Zagrabiensis intercalatum, et ex eo per meritissimum Kollerum in septimo Historiae suae Quinqueecclesiensis volumine Anno 1812. iuris publici factum.

Ex attenta et solerti monumentorum horum collatione *quoad genesim chronicorum patriorum elucet, haec omnia ex antiquissimis elucubrationibus, probabiliter ad sec. XII. referendis*, compilata esse; quae quoad res hunicas ex parte quidem auctoribus extraneis, ex aliqua tamen *traditioni et cantilenis popularibus* innituntur; quoad hungaricas vero ex „*annalibus chronicis*“ coevis, „*publicis rerum gestarum commentariis*,“

quales tempore adhuc Vladislai II. R. sub custodia Magistri Tavernicorum asservabantur, et ab alio ad aliud tempus continuabantur, porro e *legendis supparibus*, adnotationibus monachorum, *traditione itidem populari*, demum ex *propria scriptorum experientia* depromptae erant. Ex his fontibus videtur promanasse

1. Vetustissimum quoddam *Chronicon hunicum*, cuius olim existentiam attenta compilationum Kézaianae et Viennensis comparatio extra dubium ponit: e quarum utpote de gestis hunicis narrationibus fons communis translucet, quin tamen alter ex altero sua hauserit. Qui enim fieri potuisset, ut compilatores Chr. Viennensis, Budensis et Turócius, quos Engelius pro plagiariis Kézaii habet, si hunc novissent, praeter plures res momentosissimas, locum eius de centum octo generationibus (Lib. I. Cap. I. §. 5.) et quae ad hunc refertur, appendicem eius de nobilibus advenis, suppressissent: utpote qui, cum ad genealogiam spectet, circa quam aevi medii omne versabatur studium, cuivis compilatori gratissimus, et nequaquam praetereundus fuisset.

2. Vetustissimum item *Chronicon* quoddam *Ducum*, quod res ab ingressu Hungarorum usque ultimam solum eorum eruptionem (in Graeciam nimirum Anno 970.) enarravit, pacifico Geysae regimine nullam cantilenis popularibus, ex quibus chronica magna sui parte procul dubio conflata erant, materiam heroicam suggerente. Ad hoc *Kézaius* luculenter provocat (apud Podhr. Lib. II. Cap. I. §. 15.) ubi celebre illud Conradi Ger-

manorum Ducis cum Leel et Bulchu colloquium attingendo, idque ut fabulam reiiciendo, „*libri Cronicarum*“ quo illud continebatur, meminit. Compilatorem Chronici Viennensis, ubi res hungaricas narrat, itidem non Kézaium, sed eundem librum Chronicorum, quem Kézai memorat, exscripsisse: imo pluribus codicibus, iisque diversis, usum fuisse, eo evincitur, quod narrationem a Kézai reiectam, integram referat, et secus etiam in rebus hungarorum sub Ducibus recensendis Kézai multo amplior sit, quas hic, si ei notae fuissent, silentio vix praeterivisset.

3. *Chronicon Regum*, res a S. Stephani temporibus, ut mihi quidem videtur, usque mortem Geyzae II. gestas complectens, et probabiliter sub Stephano III., partim ex annalibus regni publicis, supra iam memoratis, partim ex legendis et fidicinum cantilenis, de quibus historiae nostrae passim loquuntur, congestum. Hoc chronicon, a Kézai compendio admodum ieiuno perstrictum, ceteri chronographi amplissime in suam rem converterunt: adeo, ut mirum plane sit, quomodo Engelius necessitudinem aliquam inter hos et illum statuere potuerit?

A Stephani III. temporibus historiographia nostra antiqua deficere cepit; aut codices, qui res abhinc usque Ladislaum Cumanum gestas, complectebantur, latebant, sicut id cum Anonymo Belae R. N. et ipso Rogerio, Carminis Miserabilis auctore, quos nullus e chronographis nostris noverat, evenisse notum est. Hinc factum, ut tam Kézaius, qui hoc temporis intervallum paucis lineis solummodo perstringit. quam ceteri chronographi, qui

illucusque in narrandis eventibus sat prolixi fuere, protinus nil fere quam nomina regum, annosque regiminis eorundem, ex annotationibus probabiliter monasticis, referenda habeant.

Tandem sub Ladislao Cuno Simon de Kéza comparuit, qui compilationi suae facta huius regis addidit. Hunc tamen ceteris iam laudatis chronographis omnino ignotum fuisse id etiam probat, quod iidem hanc partem illi propriam non solum non exscripserint: sed, quae ille prolixius habet, vix leviter attigerint.

Huic tempore proximus ille videtur esse compilator, quem compendii causa *Anonymum Caroli Roberti* vocasse iuvabit, qui Chronicon suum, quod iam nisi in *Codice* apographo *Vien-nensi* possidemus, e memoratis chronicis antiquis Hunorum, porro Ducum, Regumque conflavit, dein ex annalibus quibusdam sat ieiunis ad Ladislaum usque Cunum continuatum, abhinc partim e coevorum et supparium testium relationibus, partim e propria scientia primum ni fallor ad Annum 1330. productum edidit, ac postea, extincto Carolo, illud novis curis ad huius emortualem consummavit.

Et hoc est illud „volumen chronici operis“, de quo Turócius in Soliloquio suo scribit, illud Hungarorum originem a Magog filio Japhet derivare: intuitu cuius compilator hic a fonte suo, qui Hungarorum protoparentem Nemrod facit, omnino abludit.

Alias compilationes huic coevas sistunt *Chronicon* hoc nostrum *Posoniense*, et, ut collimare licet, *Chronicon Csepregianum*, ambo ad Annum 1330. desinentia. Prius, sicuti Kézai, insistit opinioni de origine Hungarorum a Nemrod deducenda: ceterum intuitu textus tantam cum Anonymo Caroli R. fovet affinitatem, ut mihi non nisi Epitome primae editionis Chronici Viennensis esse videatur, insertis nihilominus hinc inde propriis, et alibi vix reperiundis, notitiis. De Csepregiano codice, quod mihi nondum videre licuit, nihil quod ultro dicere possim, habeo. Horum, qui originem Hungarorum a Nemrod tuentur, alterutram compilationem tangit Turócius, dum citato loco sic disserit: „*Duo enim volumina chronici operis, propaginem similiterque et gesta illorum elucidantia, a ceteris auctoribus, ac etiam in seipsis, maxime in declaratione illorum germinis, dissidentia, temporibus quondam Divorum Caroli et Ludovici Hungariae Regum, ut dici praesumitur, edita reperiuntur; quorum alterum super libri Genesis decimo, alterum super undecimo capitulis suas fundaverunt origines.*

Chronica seculo sequenti XV-to edita iam uni, iam alteri harum doctrinarum adhaerent. Origini de Magog opitulatur *Chronici Dubnicensis* compilator, qui in historia hunica, imo in hungarica etiam usque Salomonem R. maximam partem Viennense exscripsit, abhinc, paucis mutationibus Budense sequitur, interserta tamen suo loco clerici cuiusdam anonymi Ludovici I. Regis narratione de rebus, quae ab Anno 1345. usque ad Annum 1355. intervenerunt: adiectis tandem, ubi Budense desi-

nit, de rebus ab Anno 1468. usque ad Annum 1479. gestis annotationibus, sat ieiunis.

Origini de Nemrod assentit *Chronici Budensis* scriptor, qui hunica, porro res Ducum et Regum pariter e superius laudatis vetustioribus exscribit, at usque S. Ladislaum tantum, cum codex, quo usus fuerit, hoc loco mancus fuisse videatur. Lacuna hac, tenui admodum narratione expleta, a Stephano III. usque Ladislaum Cunum eandem brevissimam epitomen Regum prosequitur, quam Anonymus Caroli R. suo operi inserit; a Cuno autem usque Caroli mortem continuo istum describit. Huic demum Chronicon Ioannis de Küküllö adnectit, res vero a Maria usque bellum Mathiae Corvini Moldavicum ipse auctor perstringit.

Tertius huius seculi compiler, *Ioannes Turócius*, utramque quidem sententiam e diversis chronicis aevi Carolo-Ludovicei profert, ipse tamen ad Nemrod se inclinat; ceterum in rebus hunicis et hungaricis usque exitum Caroli I. Chronicon Viennense presso pede sequitur, idque plurimis in locis ampla elucubratione interpolat; post haec chronicon Ioannis de Küküllö, historiamque Caroli II. maximam partem e Laurentio de Monacis, sed coaevorum simul testimoniis illustratam addit, totamque compilationem usque suam aetatem (1479) propria narratione auget.

Haec ergo fuit, sicut apud Byzantinos, aliorumque medii aevi populorum historicos, genesis nostrorum etiam chronicorum, haecque inter ea necessitudo: ut iam, unde orsi sumus, accu-

ratae illorum collationis summa utilitas, et in definitione auctoritatis, quae singulo loco per historiae scrutatorem tribuenda esset, necessitas palam fiat. Ast plura, et maximi sane momenti chronica nondum publici iuris facta sunt: nobis vero, occasione hac, qua Caesar metropolim invisurus est, ob exiguitatem temporis — cum his adornandis et excudendis vix duodecim dies concessi erant — brevissimum tantum horum monumentorum edere licuit: sed hoc etiam qualicumque munere res patrias auctum iri crediderimus, cum illud tam ad historiam non plane contemnendas symbolas afferat, quam genesin scriptorum huius generis illustrare possit.

Nil quod pro coronide de codice subiiciam, habeo, cum illum mihi conspicerere non licuit. Apographum Prayi est, quod historiae cultoribus offertur, viri utique in rebus his omni exceptione maioris. Si quid veteri manuscripto non plane consonum esset, id fors usum literae *v* attinebit, quam Prayus perpetuo habet, Posoniense vero exemplar vix, ac ne vix quidem adhibuerit; idem quoad literas, ut dicunt, initiales etiam monuerim, quas doctissimi viri manus non semper exposite descripsit. Annotationes ad calcem libri reiectae maxima ex parte necessitudinem nostri cum aliis codicibus spectant: cum hanc potius, quam illustrationem textus hac vice ante oculos habui: et cl. Podhradczkyus, vir de historia patria insigniter meritus, hac in re plurimum alioquin iam praestitit. At memorasse iuvabit, Viennense Chronicon mihi solum in apographe Anni 1462. ex bibliotheca Academiae nostrae Scientiarum suppeditasse, Budensi tamen in

exemplo primae editionis, sicut Dubnicensi etiam in autographo mihi, liberalitate Directoris Musei Nationalis, uti licuisse; Turóci-um demum in genuina, quae Venetiis prodivit, editione ad manus fuisse.

Scrpsi Pesthini, die 3. Mensis Iunii 1852.

FRANCISCVS TOLDY,

BIBLIOTHECAE VNIVERSITATIS PRAEFECTVS.

CRONICA REGNI HUNGARIE

CRONICON POSONIENSE.

...
...
...
...
...
...
...
...
...
...

...
...
...
...
...

CRONICON POZONIESE

CRONICA REGNI HUNGARIE.

(LIB. I. CAPUT I. §. 1.)

Multipharie multisque modis olim in veteri testamento, et nunc in etate sexta seculi, diversas diversi historias descripserunt, prout Josephus, Isidorus, et Orosius¹⁾, alique quam plures, quorum nomina exprimere non est opus. Ego autem in illo tempore illius mundi illud opus inchoavi, quando caritas refiguerat, iniquitas habundaverat, et omnis caro ad malum quam ad bonum prompcior erat.

(LIB. I. CAP. I. §. 2.)

Porro cum per cladem diluvii preter Noe, et tres, qui erant, filios ejus, *ac uxores eorum*, deleta esset omnis caro,

tandem ex Sem, Cham, et Japhat, septuaginta duo tribus post diluvium sunt progresse. Ex Sem XX, et ex Cam XXXIII, ex Japhat XXII ²⁾. Dum autem tribus omnes, sicut refert Josephus, lingua Hebreica uterentur, *CCI anno post diluvium*, Nembrothus gygas filius Cana ³⁾, ex semine Japhat oriundus, cepit turrim construere cum omni cognacione sua, periculum preteritum attendendo, ut si contingeret diluvium iterari, possent effugere iudicium ulcionis turris interfugio. Verum divini mysterii arbitrata sententia, cui non potest resistere humanus intellectus, sic illorum mutavit loquelam, ac confudit, ut dum proximus a proximo non posset intelligi, tandem in diversas regiones sunt dispersi. Confecerant enim in ipsa turri, sicut refert Josephus, Deorum templa ex auro purissimo, palacia ex lapidibus preciosis, columnas aureas, et plateas... ⁴⁾

Et turris ipsa in quadrum est, ab uno angulo ad alium habens passuum longitudinem mille quindecim, latitudinem totidem, quantitas vero altitudinis nondum finita erat, quae usque lunarem circulum secundum cogitationem illorum debebat sublevari. Grossitudo autem fundamenti trecentorum passuum erat, paulatim quidem sublevata artabatur, ut prominens pondus posset levius sustentare grossitudo fundamenti. Sita enim erat inter Nubiam et egiptum, cujus antiqualia cernuntur usque hodie cuntibus de ynihimbis ⁵⁾ Alexandriam.

(LIB. I. CAP. I. §. 3.)

Dimissis ergo incidenciis, que cepte materie ⁶⁾ colorem, redeundum est ad inceptum. Nembroth igitur gigas post linguarum confusionem terram Eulat ⁷⁾ dicitur introisse, que regio Persiden isto tempore nominabatur, ibique duos filios Hunor et Mogor de

Enach⁸⁾ sua conjuge generavit, ex quibus Hunni seu Hungari sunt egressi. Sed gigas Nembroth uxores alias preter Enach habuisse perhibetur, ex quibus, absque Hunor et Mogor, plures filios et filias generavit. Hii sunt⁹⁾ filii, et eorum posteritas Persiden inhabitabat regionem, statura et colore similes Hunnis, tantummodo differunt paulum in loquela, sicut Saxones et Turungii. Dum autem Hunor et Mogor filii Nembroth essent primogeniti, et a patre ipsorum in tabernaculis separatim inhabitabant¹⁰⁾. Accidit autem dierum una venandi causa ipsos perexisse, quibus in deserto cum cervam occurrisset, in paludes Meotidas illam insequentes, fugit ante eos, cumque ante eos prorsus evanisset, diucius requisitam nullo modo potuerunt invenire: peragratis tandem paludibus memoratis, pro armentis nutriendis ipsam inspexerunt opportunam.

(LIB. I. CAP. I. §. 4.)

Deinde ad patrem redeuntes, ab ipso licentia impetrata, cum rebus omnibus paludes Meotidas intraverunt moraturi. Regio quidem meotida perside patria est vicina, quam undique, praeter vadum unum, pontus gyrovallat, fluvii carens, herbis, silvis, piscibus, volucris et bestiis copiatur. Aditus illic est difficilis, et exitus. Paludes ergo Meotidas adeuntes, quinque annis ibidem immobiliter permanserunt; anno vero VI. exeuntes in deserta loca, sine maribus in tabernaculis permanentes uxores ac pueros filiorum wereta¹¹⁾, *cum festum tube colerent et coreas ducerent, ad sonitum simphonie* casu repererunt, quas cum earum rebus in paludes Meotidas rapinis celeribus deduxerunt. *Hec fuit prima preda.* Accidit autem principis Dua¹²⁾ alanorum *in illo prelio* inter illos pueros duas filias comprehendi, quarum unam Hunor, aliam vero Mogor sibi in uxorem sumpserunt, ex

quibus mulieribus omnes Hunni sive Hungari originem sumpserunt. Factum est autem cum diucius in paludibus Meotidis habitabant, in gentem validissimam crescere ceperunt, nec eos capere ipsa regio poterat, aut nutrire.

(LIB. I. CAP. I. §. 5.)

Exploratoribus ab inde in Scitiam dimissis et destinatis, *scrutinii astutia sublimissima* Scitiae regione explorata, cum pueris et armentis ipsam patriam intraverunt permansuri. Regnum igitur ipsum dum adissent, alprozuros¹³⁾, qui nunc pruteni nuncupantur¹⁴⁾, in eo habitantes invenerunt, quibus deletis, et expulsis, aut occisis, usque hodie ipsum regnum vi victis vicinis¹⁵⁾ dignoscuntur¹⁶⁾. Scitia enim regio in Europa situm habet, et extenditur versus orientem, ab uno latere ponto aquilonari, ab alio vero niveis¹⁷⁾ montibus includitur¹⁸⁾, cui de oriente Asia, *et de occidente fluvius Etul, id est Don*¹⁹⁾. Gentes siquidem in eadem procreate ocia amplectuntur, vanitatibus dedite, naturam dignatores actibus venereis intendentes, rapinas amant, generaliter colore plus nigro quam albo. *Scitia enim comprehensione una cingitur, sed in tria regna dividitur, principiando scilicet in Woscardiam, Dentuam, et Mogoriam; habet quoque provincias centum et octo, que dudum per filios Hunor et Magor fuit ob centum et octo progenies, que egresse fuerant ex femoribus eorundem, de paludibus meotidis intrantes scitiam, sunt divise*²⁰⁾. Regno autem Scitico de oriente jungitur Jurianorum²¹⁾, et post hos Tarsia, tandem vero Mancalia, ubi europa terminatur. Ex plaga vero autem estivali subsolari gentes, videlicet Corosmena, et ethiopia, que major²²⁾ india dicitur: et post hoc inter meridiem et cursum Don fluvii est desertum immeabile, *ubi propter intemperiem aeris illius zone sunt serpentes di-*

*versi generis, rane ut porci, basiliscus, et plura alia animalia toxicata, tigris et unicornus ibi generantur*²³⁾. Don grandis fluvius in Scitia oritur, ab Hungaris Etull nuncupatur, et ibi montes niveos qui Scitiam cingunt²⁴⁾, fluvius tumescit, qui amisso nomine Don vocatur. Circa enim meridiem *inter ipsum jacet gens Kytanorum* et gens Alanorum, tandem in mare rotundum cadit tribus ramusculis. Alter quoque fluvius nomine Togata²⁵⁾ valde magnus nascitur in regno Sciticorum, qui per plures²⁶⁾ vadit desertas, paludes et montes niveos, ubi sol nunquam lucet discurrens, tamen tandem intrat in Hyrcaniam, et ibi vergit iterum ad aquilonem. Longitudo quidem Scitie patere, CCC. et sexaginta stadiis extendi perhibetur, latitudo centum nonaginta. Situm enim habet tam munitum, quod in solo loco uno parvissimo vadum ibi reperitur, *propter quod Scithe nulli imperio nisi etiam Macedonico aliquo tempore subjecti sunt, et pro tanto vocamus eos demptos et exemptos ab omni potestate; dicimus etiam dentes, et dentositates, quia sicut dentes omnia conrodunt et anulant, ita ipsi omnes alias naciones vexant. Unde Romani eos vocabant flagellum Dei*²⁷⁾. Solo tamen dicta Scitia in quibusdam locis satis lata²⁸⁾ esse dicitur, nemoribus, silvis, herbis venustata, diversique generis dives bestiis, et referta; cui de occidente vicini sunt Bessi et Cumani albi. Circa etiam mare aquilonis de occidente, quod ei vicinatur, usque susdaliam est desertum silvestre humano generi immeabile, quod ad magnum perhibetur extendi spacium, ubi nubium densitas per novem menses *continue* jacet, ubi sol non cernitur per menses memoratos, nisi in mense Junio, Julio et Augusto, et id in tanta hora diei, quanta est a sexta usque nonam. In montibus etiam deserti memorati crystallus invenitur; grifones nidum parant, quas Legvalk²⁹⁾, Hungarice ke-rechet *appellamus*³⁰⁾; pullos procreare dignoscuntur³¹⁾.

(LIB. I. CAP. II. §. 1.)

In sexta igitur etate mundi vel seculi multiplicati Hunni in Scitia habitando, ut arena, anno Domini CCCXXVIII³²⁾ congregati in unum, inter se capitaneis constitutis Bele, filio Chele, de genere Zemerin oriundo³³⁾, Bur³⁴⁾ et Kadicha ejusdem fratribus, Chela, Kue, et Wida filiis Wendekuz, de genere Ed³⁵⁾, occidentales regiones decreverunt invadere. *Centum ergo et octo tribubus decies centena milia seu de uno quoque genere decem millia armatorum eligentes, derelictis Hunnis in Scitia, qui ipsorum sedes regnumque ab hoste custodirent*³⁶⁾, constituentes, nihilominus inter se rectorem unum nomine Kadar de genere Curda³⁷⁾, qui lites sopiret dissidentium, fures ac latrones et malefactores castigaret, ita tamen ut si rector idem immoderatam sententiam diffiniret, in irritum posset communitas revocare errantem rectorem, et capitaneos deponere, quando vellet. Consuetudo itaque ista legitima inter Hunnos sive Hungaros usque ad tempora ducis Geyse³⁸⁾ filii Thoxum extitit observata. Ante enim baptismum Hungarorum vox preconia clamando taliter Hunnorum proclamabat ad exercitum: Vox Dei et communitatis universe, quod unusquisque in tali loco armatus, vel sicuti est, debeat precise comparere, communitatis preceptum ac consilium auditurus. Quicumque ergo edictum contempsisset, non valens pretendere racionem, cultro dividi per medium lex Scitica sanciebat, aut ire in desperatas causas, aut in comune servicium immisericorditer trahebatur. Vicia itaque et hujusmodi excessus unum Hunum ab aliis fecerunt separari: alias cum unus pater et una mater omnes generans procreaverat, quomodo unus nobilis et alter ignobilis esse diceretur, nisi victus per hos casus criminis haberetur.

(LIB. I. CAP. II. §. 2.)

³⁹⁾ Tunc omnes capitanei simul uno animo, uno quoque consilio egressi de Scithia, intrantes tandem Bessos et Cumanos albos, Susdalos, Ruthenos, terramque Cumanorum nigrorum intravere. Abinde egressi usque ad Thisiam pervenerunt: qua quidem regione circumspecta, concorditer omni cetui placuit cum uxoribus et armentis, cum bigis et suis tabernaculis, de natali solo descendere.

(LIB. I. CAP. II. §. 3.)

Cumque eo tempore Panoniam, Pamfiliam, Frigiam, Macedoniam et Dalmaciam thetrarcha Materna ⁴⁰⁾, natione Longobardus, de Sabaria oriundus, gubernaret, armis bellicis informatus, audito, quod Hunni super Thisciam resedissent, et de die in diem devastarent regionem ejus, cum alumpnis sui regni ipsos agredi formidans, ad Romanos suos mittens destinavit, petens sibi auxilium comodari contra Hunnos, ex gratia etenim Romanorum in patriis memoratis imperabat. Romani vero eo tempore Detricum de Verona, nacione almanum, voluntarie super se regem prefecerant; quem petentes ut paterno ⁴¹⁾ subsidium importaret: illo autem animo gratanti annuente, est egressus cum exercitu ytalico, Germanico ac alio mixto gentium, et gentibus partium occidentis. Pervenit tandem in Zazhalm, ubi ipsi Longobardi ad civitatem Potenciam ⁴²⁾ convenerant, ut tractarent cum Materno consilium: utrum Hunnos in eorum tabernaculis in suo descensu transeundo Donubium, vel in alio loco competenti invadere oporteret.

In istis ita consiliis et tractatibus Detrico Maternoque residentibus, Hunni super utres noctis in silentio in Zizambria⁴³⁾ Donubium transeuntes, Materni et Detrici exercitum, quem civitas Potenciana capere non poterat, in campis, in tentoriis commorantem crudeliter trucidarunt. Ex qua etiam invasione Detricus conturbatus exivit contra Hunnos in campum Tawarunkwelt⁴⁴⁾ pugnaturus: qui committendo prelium Hunnos fertur devicisse, cum suorum maximo interitu et periculo: ex Hunnis vero qui permanserunt, fugerunt *ultra Tisam*⁴⁵⁾. Ceciderunt autem illa die ex Hunnis centum et viginti quinque milia; Keweque Capitaneus interiit in ipso prelio inter illos: ex Detrici vero et Materni exercitu, exceptis illis, qui in suis tentoriis manserunt trucidati, ducenta et decem milia coruerunt. Videns autem Detricus tantam cedem sui populi in prelio, post congressum altera die perexit versus Tulnam civitatem, que tunc erat Civitas Latinorum, inter urbes Panonie computata; Materno potentia nullatenus remanente. *Tulna civitas est in Austria, tres Kastas*⁴⁶⁾ *differt a Viena*⁴⁷⁾. Ut autem cognoverunt Huni retro cecidisse suos adversarios, ad locum certaminis sunt reversi, et cadavera suorum sociorum et Kewam Capitaneum more scitico prope stratam, ubi statua solempnis lapidea est erecta, decentissime subterraverunt, locumque illum et partes illas Kewehaza⁴⁸⁾ vocaverunt. Expectantes igitur in prelio precesso animositatem et Romanorum paraturam, resarcito exercitu versus Tulnam civitatem, ubi se inimici eorum collegerant, Huni perexerunt. Contra quos Detricus cum Materno in Cewzmaur⁴⁹⁾ dicitur occurrisse, et a mane usque ad nonam preliantes Romani sunt devicti: ubi et Maternus mortuus est, et Detricus per sagittam in fronte vulneratus, totoque exercitu Romanorum intercepto⁵⁰⁾ ac fugato. Ex Hunis vero in

illo prelio quadraginta milia perierunt; Wela, Kadicha, et Keue ibidem interfectis, quorum cadavera abinde removentes, apud slatuam memoratam cum aliis Hunis sepulture tradiderunt. *Postquam autem Romanorum exercitus de Cesumaur est dispersus, nunquam deinceps per plures annos contra Hunnos congregari potuerunt*⁵¹⁾.

(LIB. I. CAP. II. §. 5.)

Tunc Hunni Athilam, filium Benudech, Romanorum consuetudine super se regem prefecerunt, qui primo unus de Capitaneis habebatur, et Wudam fratrem suum de flumine Tiscie usque Don principem constituit ac rectorem, vocarique se faciens Hungarorum regem, metum orbis, flagellum Dei⁵²⁾: *Athila Dei gratia filius Wendekum, nepos magni Nemproth, nutritus in Engadi, que est melior terra in mundo, rex Hunorum, Gothorum, Medorum, metus orbis terre, et flagellum Dei*⁵³⁾.

(LIB. I. CAP. II. §. 6.)

Athila colore totus⁵⁴⁾, oculis furiosus, elatus incessus, pectore lato, barbam prolixam⁵⁵⁾ deferebat, venerens etiam erat ultra modum, in arca sua aes tenens⁵⁶⁾ contempnebat, audacie quidem temperate, astutissimus in preliis, ac solertus, fortitudinis competentis suo corpori habebatur; in voluntate magnanimus, armis politis, mundis tabernaculis, cultuque utebatur; amabatur siquidem ab extranea natione, eo quod esset liberalis et comunis; ex natura vero severitatem quam habebat, mirabiliter a suis timebatur. Linguarum ideoque diversarum nationes de finibus orbis terre ad eum confluebant, quibus pro posse liberaliter affluebat. Habebat etiam quatuor milia curruum falcatorum, diversas machinas, et omnia ingenia, quibus castra et urbes confringuntur, que in suo exer-

citu secum ferebat. Tabernacula quidem variis modis diversorum regnorum operata habere consueverat, unum tamen habebat sic celebre ac solempne, ut ex laminis aureis mirifice conjunctum, solidata, nunc solvi et nunc conjungi ad tendentium staret voluntatem. Columnae vero ejus ex auro laborate, habentes juncturas, opera ductilia, in medio tamen vacuae, in suis juncturis lapidibus preciosis fabricate jungebantur. Sed in sua Maristalla, dum pergeret ad exercitum, diversarum patriarum equis replebantur, quos quamvis visus esset habuisse largiter, tamen egentibus tribuebat, ita quidem, ut duos vix haberet aliquando pro usu equitandi. Ista vero Maristalla ex bisso et purpura habebat parata. Sed et regales vestes et selle ex auro fuerant et lapidibus preciosis laborate. Mensa erat tota aurea, vasa etiam coquinaria aurea erant, talamus autem ejus ex auro purissimo mirifice fabricatus secum in exercitu ferebatur. In hiis igitur et in aliis seculi pompis Atele rex Hunnorum erat gloriosus. Expeditio vero sua praeter extraneas naciones centenis milibus⁵⁷⁾ virorum armatorum replebatur, ita quidem, ut si unum decedere contigisset, statim unus ad locum ejus ponebatur. Arma quidem gentis ejus ex corio maxime et metallis variis diverso modo erant fabricata, *arcus habens et lanceas acutissimas, et cultros accinctos in femore*⁵⁸⁾. Walnerium⁵⁹⁾ quoque regis Athile, quod in suo scuto gestare consueverat, similitudinem austeris⁶⁰⁾ in capite habebat cum corona. Id signum Hungari, dum se regerent per communitatem, usque ad tempus ducis Geyse, filii Toxun, in exercitu semper communiter gestavere⁶¹⁾.

(LIB. I. CAP. III. §. 1.)

Postquam autem commisso prelio in Chezumaur redissent Huni cum victoria ad sua tabernacula, diebus paucis ultra Ti-

sciam cum uxoribus remanserunt. Et hoc facto rex Atila ad Czewem⁶²⁾ solempnem curiam fecit congregari, in qua Detricus de Verona cum principibus almanie accedens, omnem homagionem et reverenciam regi Athile fecisse perhibetur. Suggestit itaque regi ad partes occidentales personaliter⁶³⁾, *ubi magnum honorem posset adipisci*. Cujus quidem amplectens consilium, exercitu statim proclamato, egressus de Sicambria *Buda*⁶⁴⁾ dicitur invasisse; deinde Constantie regnum⁶⁵⁾ pertransivit, cui Sigismundus rex occurrit circa Basileam cum exercitu magno, quem cum gente tota conterens, suo dominio subjugat; a loco autem illo egressus *juxta Renum* ad Argentinam, civitatem obsedit, quam quidem nullus Cesar potuit primitus expugnare, ipse Athila expugnavit, diminuendo murum ejus undique locorum, ut cunctis advenientibus sine gravitate via praeberetur: edicens firmissime, ne ipsius murus ipso vivente mutaretur⁶⁶⁾: ut eadem Civitas non Argentina, sed Strasburg vocetur *propter viarum pluralitatem, quas in muro ejus fecerat aperiri*. Amoto igitur suo exercitu de Argentina, iuxta Luxoniam⁶⁷⁾, Wizanciam⁶⁸⁾, Chalon, Masticam⁶⁹⁾, Ligonensem⁷⁰⁾, Burgondam, et Lugdunum⁷¹⁾, destrui fecit civitatem usque terram, et egressus inde juxta fluvium Rodanum pervenit Cathalauns⁷²⁾, ubi diviso suo exercitu, terciam partem sue gentis contra Mirananum⁷³⁾ soldanum potentissimum cum electis capitaneis destinavit. Quo audito idem de urbe Sibilec⁷⁴⁾ fugit ante hunnos in Marchiam⁷⁵⁾, brachio maris, quod strictum Sibule⁷⁶⁾ dicitur, transpassato. Hoc facto idcirco regem Athilam Romanorum patricius dictus Eutius⁷⁷⁾ cum X regibus occidentalis terre invasit ex obrupto⁷⁸⁾, cumque insultum niteretur facere super Athilam, per nuntios petens inducias preliandi, ut copie sue gentis, que fuerat adversus Soldan⁷⁹⁾ destinata, remearet: illis renuentibus, inter ambos exer-

citius a mane usque ad noctem in campo, qui Wewin⁸⁰⁾ dicitur, prelium est commissum. Erat enim inter ambos exercitus fluvius discurrens tam parvissimus, ut si capillum quis in ipsum jactasset, suo lento motu potuisset vix inferius remove. Prelio autem iam facto, animalium et hominum sanguine inundando, tantus torrens fuisse perhibetur, ut aurigam cum curru introtraheret, ac armatos, fieretque mortalitas non modica per torrentem in utroque exercitu. Illud ergo prelium, quod commissum extitit inter reges occidentis et Athilam, *in campo Wewinder Cathalouns*, omnibus preliis hujus mundi, que commissa sunt uno die, et uno loco terribiliora et magis ardua per veteres non memorantur. In quo quidem conflictu rex Gottorum Marinus⁸¹⁾ nomine Aldaricus extitit interemptus: cujus quippe obitum dum alii reges cognovissent, *qui occisi non fuerant*, fuge latebras queritarunt. Ab illo ergo die elevatum est cor hunnorum et regis Athile, timorque percussit orbem terre. Quo audito census et tributa plurima regna promiserunt.

(LIB. I. CAP. III. §. 2.)

Tercia vero pars exercitus Athile regis, que non potuit in hoc prelio interesse, timens Athilam propter moram, usque vitam Athile remansit Cathalaunis, ejusdem patrie habitatores tandem sunt effecti, *Panoniam nolentes remeare*. Erant enim soli hunni *adusque Mirmamaniam destinati LXV milia (vel secundum quosdam libros CCCXXX milia in hunnis)*, *excepta extranea natione*⁸²⁾. Ex hiis hunnis plures fuerant capitanei constituti, qui lingua ipsorum Hyspani⁸³⁾ vocabantur, ex quorum quidem nominibus hyspania⁸⁴⁾ tota nomen assumpsit.

(LIB. I. CAP. III. §. 3.)

In loco siquidem prelii diebus paucis commorante Athila, regressus est cum victoria, venitque in civitatem Tholosanam, in qua per cives cum summa laude est receptus. Abinde se removens, abiit contra Remensem civitatem, capitalem urbem Gallicorum, que ei, dum pergeret Cathaloniam, restiterat vehementer. Quam occupans, sine misericordia omnes, quos ibi cepit, igne ac gladio devastat, taliterque tota Francia et Flandria demolita, pervenit Coloniam, ubi sanctam Ursulam, Waractanorum⁸⁵⁾ regis filiam, cum XI milibus virginum hunnorum feritas crudeliter jugulavit. Reno ibidem transpassato, Colonie, deinde intrans Turingam apud hysinacum civitatem, curia solempni in ipsa celebrata, super Dacos⁸⁶⁾, Norvanos⁸⁷⁾, Frisones, Lituanos, et Prutenos exercitum destinavit, quos devictos sibi fecit deservire.

(LIB. I. CAP. III. §. 4.)

Regressus vero curia celebrata in Sicambria Civitatem Pannonie intravit, in qua propriis manibus Wudam fratrem suum interfecit, ac corpus suum in Donubium projecit, quia ipso Athila in partibus occidentalibus demorante⁸⁸⁾, idem Wuda inter ipsum⁸⁹⁾ Athilam fratrem suum metas stabilitas transgressus fuerat dominando. Nam Sicambriam suo nomine fecit nominari Wudawara⁹⁰⁾. Et quamvis rex Athila hunnis, ac aliis gentibus posuisset interdictum, ut eadem civitas non Wudawara, sed urbs Athila vocetur, Theutonici, interdictum formidantes, Azelburg⁹¹⁾ eam vocant⁹²⁾: urbs Athile: hungari vero interdictum non curantes, adhuc eam Wudam usque huc vocant et appellant.

(LIB. I. CAP. III. §. 5.)

Hiis itaque sic peractis, quinque annis Sycambrie requievit, speculatoribus suis per mundi quatuor partes destinatis sive distributis. Speculatorum quidem prima societas de Sycambria ordinatim, in quantum unius clamor ad alterum potuisset exaudiri, *die nocteque*⁹³⁾; Colonie Germanie civitate stare consueverat altera pars usque Lituaniam, tertia in littore Don fluvii⁹⁴⁾ *Ethul*, sed quarta stacio Ydire⁹⁵⁾ Dalmacie civitate constiterat, quorum quidem clamore et voce, quid Athila ageret, vel quali exercitationi esset deditus, mundi quatuor partes scire potuissent.

(LIB. I. CAP. IV. §. 1.)

Panonie, Pamfilie, Frigie, Macedonie, et Dalmacie civitates, que per hunnos obsidione crebra erant fatigate, natali solo derelicto, in Apuliam per mare Adriaticum, licencia ab Athila impetrata, *servire ipsi Athile renuentes, dimissis armentis*, transierunt. Ulachis, qui ipsorum coloni erant vel extitere, ac pastores, remanentibus sponte in Panonia. Cumque rex Athila quinque annis *permansisset* Sicambrie, sui exercitus defectum, videlicet tercie partis, que dudum remanserat Cathalauniis, resarcire et invenire procuravit; curiaque celebrata egressus de panonia, per Carinthiam, Stiriam, et Dalmaciam pertransiens, apud urbem Salonam et Spaletum mari Adriatico se conjunxit, ambasque urbes fecit cremari. Ab illo vero loco egressus, perexit circa mare Traguriam, Scardonam, Sibenicum, Jadram, Nonam⁹⁶⁾, Steniam⁹⁷⁾ civitates, et alia multa opida in montibus destruens, pervenit tandem aquilegiam. Cujus quippe magnitudine conspecta, abhorruit, et se confusum reputans si dictam urbem inexpugnatam reliquisset: pro eo maxime, quia plures *rebelli* Longobardi de panonia fugisse in patriam⁹⁸⁾ ferebantur,

quos cum per nuntios a civibus repetisset, illos tradere recusassent, expugnare cepit diversis machinis civitatem, quam cum capere nullatenus potuisset, obsedit eam uno anno et dimidio. Accidit autem uno die, ut ipsam civitatem circumiret, multis phitonicis latus ejus adherentibus, in quibus juxta sue fidei opinionem spem maximam apponebat. Videns ciconiam de mari evolantem, et in pinaculo unius palacii, in quo habebat nidum suum, resedissee, acceptoque in rostro suo pullo uno, in maris arundines illum deportavit. Reversa iterato, et alios pullos suos simul cum nido transportabat. Quo viso rex Athila, suos milites ad se vocans, dicens: Cernite, socii, quod ista ciconia futurorum factorum⁹⁹⁾ indicia notat, et urbem istam per nos sentit diruendam, ad fugam, ne pereat cum civibus, se communit. Estote ergo in prelio die crastino forciores, videbitis civitatem ruituram. Tunc edicto proclamato, machinarum omni genere adhibito, cum non posset civitatem expugnare cum machinis, consilio sciticorum tandem usus, sellam unam ex decies centenis milibus de quolibet postulavit, fecitque ex sellis juxta muri circuitum congeriem vehementem, et iussit accendi sellas illas, quarum flama et ardore murus se dissolvens, cum turribus in terram est prostratus. Quo viso cives derelicta civitate in insulam maris fugierunt. Eandem enim insulam maris aquilegienses decernunt intrare, et non ibi permanserunt, que vetus venetia usque huc nominatur: in qua quidem aliquamdiu habitantes, propter metum regis Athile ipsam derelictam insulam, que Realt dicitur, intraverunt permansuri. Veneti quidem sunt etiam terre aquilegie, quam fundasse perhibentur. Veneti quidem non accipiunt originem de Sabaria, ut quidam opinantur. Nam Sabariam Latini, Longobardi inhabitant, et erat ibi scola generalis tam ipsis Longobardis, quam aliis gentibus terre, poetarum,

multis philosophorum dogmatibus luculencius illustrata, et variis ydolorum erroribus mancipata, quam quidam rex Gottorum nomine Archellaus primo volens capere, diu obsessam non potuit: metus orbis expugnavit, cujus nempe incole per hunnos expulsi nunc habitant Papie in Italia, juxta fluvium Tican¹⁰⁰.

(LIB. I. CAP. IV. §. 2.)

Destructa itaque civitate aquilegia, Concordiam denique, in forumjulii, destruxit civitatem. Deinde in Marchiliam¹⁰¹ intrans Longobardie, Tervisiam, Paduam, Veronam, Wrixiam, Cremoniam, Mantuam, Pergamum, Mediolanum, *Alexandriam* et Feraram, aliasque plures urbes ipsius regionis suo, dominio subjugavit. Post hoc Ravennam dum venisset, Arrianorum archipresul, qui in ipsa civitate contra sedem Apostolicam duodecim cardinales fecit elevari, sectam suam imitantes, habens thesaurum copiosum, civibus ignorantibus in urbem Ravenam clam hunnos intromisit, filiosque waptismatis¹⁰², qui in ipsa civitate erant pociores, fecit jugulari, promittens nihilominus, quod si secte sue adhererit, fueritque persecutus Christianos per totam Italiam, et Romanam civitatem, cum Africa, sine fatigatione sue gentis et expensis sibi subjugaret. Cumque Athila libenter annuisset, magis oblectatus amore dominii, quam secte memorate: cognoscentes Romani periculum, quod inde emergere posset christianis, Leonem, *vel secundum quosdam Benedictum*¹⁰³, adeunt Apostolicum, ut Athilam debeat dirigere gressus suos, petens eum ex parte Romanorum, ut acciperet census et servicia, quamdiu viveret ipse Athila. Interea rex Athila ad Apuleam exercitum destinabat, constituens ipsi exercitui capitaneum Hoard, ex tribu Zoard oriundum, qui quidem Apuliam, terram laboris, et Calabriam usque, Regionem civitatem, et Catonam, quam

sapiens Cato fundasse dicitur, spoliavit, et cum summa preda revertitur¹⁰⁴). Cumque Leo papa cum cleri multitudine ac crucibus ad Athilam pervenisset Ravenam, in campo simul in equis colloquium habebant, et dum promissa et verba audisset Romanorum, honorosa videbantur, rexque athile admittere decuit . . . postulata apostolici ob timorem: nam cum idem rex oculos superius elevasset, vidit super caput suum pendere quemdam hominem in aere, habentem gladium versatilem in manu sua, qui ipsius caput quasi stridentibus dentibus truncare minabatur, nisi Romanis admittendo postulata. Coram Apostolico licencia data, rex Ravenam est ingressus, in qua quidem archipresulem arrianum fecit captivare cum suis sequacibus pape immadatus¹⁰⁵) consilium. Et postquam exegisset ab eo et complicitibus suis LX milia marcarum auri, ipso jugulato, cum omni copia sui exercitus suam Panoniam est reversus.

(LIB. I. CAP. IV. §. 3.)

Cum ergo per meridiem, aquilonem, atque orientem longe lateque suum imperium extendisset, verteretque in animo suo transfretare, ut egyptios, assirios, ac africanam subjugaret;

(LIB. I. CAP. IV. §. 4.)

Tunc filiam regis Baractanorum nomine Micoloth¹⁰⁶), supra formam humanam pulchriorem, sibi adducunt ad amandum: quam in tantum adamasse perhibetur, ut modum excesserit, sicuti ei moris erat, in potando; factoque fine coitus puella, usuque consumato, de naribus ejus sanguis egrediens, supino dormienti vero post in guttur intravit, ubi sanguis coagulatus tractum impediens anhelitus, Athilam interimit. Micoloth vero de somno excitata, cum suum Dominum motu celeri tetigisset, et ille se movere

non potuisset, cernens corpus frigidatum, et privatum calore naturali, cubicularios regios ejulatu magno ad se vocans, Dominum suum eis demonstrans universe carnis viam intrasse. Qui sane clamore terribili perstrependo, universos vigiles ad hostium palatii eorum ejulatu fecerunt cursitare; sepelieruntque cum Wele, Kadicha, et Keue, et aliis Capitaneis hunnorum in loco superius memorato.

(LIB. I. CAP. IV. §. 5.)

Divulgato igitur ejus obitu, obstupuit totus mundus, et utrum inimici ejus lugerent, an gauderent, hesitabant: filiorum multitudinem formidantes, qui quasi populi vix poterant connumerari, et credebant aliquem post obitum patris regnaturum ex filiis. Detrici vero, ac aliorum principum alienorum astutia, quibus rex athila in collo imperando residebat, hunnorum impetita communitas in partes diversas est divisa, ita quidem, ut quidam Chabam regis athile filium ex Gregorum Imperatoris, scilicet Honorii filia, procreatum; alii vero Aladarium ex Germanie principissa, scilicet ex Domina Cuthundina¹⁰⁷⁾, in regem post Athilam sibi proficere nitebatur. Quamvis vera pars hunnorum cum Chabe adhesisset, Detricus cum paucis hunnis Aladario: ambo regnare ceperunt. Dumque alter alteri se preferre niteretur,¹⁰⁸⁾ ambos reges tam durum bellum est commissum, ut per XV dies continuos ita donubium germanico sanguine inundavit, ut si Teuthonici occisionem, que per hunnos facta est diebus memoratis, ob odium non celarent, profecto possent confiteri, quod a Sycambria usque Potentianam nec homines, nec bruta animalia de donubio aquam puram bibere potuissent. Istud est illud prelium, quod hungari Remheled¹⁰⁷⁾ prelium vocant usque in diem istum. In hiis itaque preliis semper hunni et Chaba victoriam habue-

runt. Postquam vero Detricus de Veronia proditamento Chabam fecit separari, vix quindecim milia ex parte Chabe remanserunt, aliis hunnis et filiis Athile totaliter deletis et occisis. Devictus itaque Chaba et germani sui, filii Athile, qui ei assisterant, ex adverso¹⁰⁹⁾ numero LX cum XV millibus hunnorum ad Honorium avunculum suum fugisse perhibetur. Et quem Honorius Imperator incolam grecie facere voluisset, illo renuente remeare paternam sedem, videlicet Scitiam, expetivit moraturus. Manserat namque Chaba in grecia apud Honorium duobus annis: sed rediit in Scitiam propter disturmiam tertio anno. Hic autem in Scitiam adiundo, uxorem de Scitia non accepit, sed tradunt¹¹⁰⁾ de Corosmania, de consilio Wendekez avi sui, quem sanum, sed nimis decrepitum dicitur invenisse. Ex ista uxore sua genuit Edemin et Ed. Igitur Chaba suo amonitu redire fecit Sciticos iterum in Panoniam.

(LIB. I. CAP. IV. §. 6.)

Hic nota de Siculis:

Remanserunt autem exhinc hunnorum tria millia, que fugerant, erepti de prelio Cuminhuldino, in campum Siglamezei se colligere procurarunt, qui cum timerent occidentis naciones, ne eos invaderent ab obrupto, de¹¹¹⁾ Erdevevu intraverunt, non se hungaros, sed Zewkalos alio nomine vocaverunt. Isti enim Zeculi hunnorum sunt residui, usque ad alium hungarorum exitum, in campo prephato commorantes¹¹²⁾. Isti namque Seculi Chabam in grecia periisse putarunt, unde vulgus adhuc loquitur inquiens: tunc redire debeas, quando Chaba de grecia revertetur. Iste namque Chaba legitimus filius erat Athile regis, cuius filii sunt Edemin et Ed vocati. Edemin vero Chaba in secundo reditu in pannoniam per se cum maxima familia et cognatione

patris et matris sue introivit. Ed autem remansit in Scitia. Ex isto etiam Chaba Abe generatio est exorta ¹¹³).

(LIB. I. CAP. IV. §. 7.)

Exterminata itaque multitudinis ¹¹⁴) filiorum regis Athile, tandem panonia permansit sine rege X annis, Olachis, Grecis, Marhianis ¹¹⁵), Thetunicis, Sclavis exulibus remanentibus tum in panonia, qui Athile serviverunt. Surrexit autem pulsus quidam princeps Zachopolus nomine, Moroti filius de polonia, cepit in panonia dominari. Hunc quidem primi hungari de Erdel muneribus variis explorantes, tractando diversis sermonibus, denique irruptione subita in oppidum circa pontem Bani iuxta catam cum tota milicia devenerunt, et sic populis pannoniae memoratis, quos Moroti filius dilatando auxerat, inceperunt dominari ¹¹⁷). *Regnavit autem Athila annis quadraginta quatuor. Ducatum tenuit LV annis, vixit centum XXIII annis. Et tantum de prima cronica hunnorum.*

(LIB. II. CAP. I. §. 1.)

INCIPIT PROLOGUS IN SECUNDAM CRONICAM EORUNDEM. De gestis ¹¹⁸) igitur Hungarorum, natalibus, preliis felicibus ac sinistris, quociensque eorum loca immutaverunt. Nunc videndum est, quo tempore in Pannoniam redierunt iterato, quique redeuntium fuerint Capitanei, quantusque numerus armatorum in exercitu, apponere in presenti opusculo dignum duxi.

(LIB. II. CAP. I. §. 2.)

Porro Eleud filius Ugek, ex filia Ewdbilia ¹¹⁹) in Mogor, genuit filium, qui nominatur Almus ab eventu, quia matri ejus

in sompno innotuerat avis, quasi in forma austuris veniens, dum esset gravida: et quod de ejus utero egrederetur torrens, ac in terra sua numero multiplicaretur. Ideo statutum fuit, quod de lumbis eius gloriosi reges propagarentur. Quia sompnum lingua nostra dicitur Alni¹²⁰⁾, et illius ortus per sompnum fuit pronosticatus, ideo vocatus est Almus, qui fuit filius Eleud, qui fuit Ugek, qui fuit Ed, qui fuit Chaba, qui fuit Wendekuz, qui fuit Torda, qui fuit Ethen¹²¹⁾, qui fuit Caducha, qui fuit Borend¹²²⁾, qui fuit Zulta, qui fuit Wulchu, qui fuit Wobag¹²³⁾, qui fuit Lel¹²⁴⁾, qui fuit Leventa, qui fuit Ompud, qui fuit Miska, qui fuit Chanad, qui fuit Buken, qui fuit Farkas, qui fuit Athmar, qui fuit Weler, qui fuit Keva, qui fuit Keled, qui fuit Dama, qui fuit Door, qui fuit Hunor, qui fuit Nembroth, qui fuit Chana¹²⁵⁾, qui fuit Japhet, qui fuit Noe. Alin genuit Arpad, Arpad genuit Zaltan, Zaltan genuit Toxun, Toxun genuit

(LIB. II. CAP. I. §. 2.)

Anno octingentesimo octuagesimo octavo ab incarnatione Ihesu Christi hungari ingressi sunt pannoniam, et invenerunt¹²⁶⁾ in herdewel, ibique septem castra terrestria praeparaverunt pro uxoribus et rebus suis conservandis; aliquamdiu permanserunt. Qui circumjacentes dominos formidantes, de comuni consilio VII capitaneos inter se prefecerunt, et in septem exercitus sunt divisi ita, ut unusquisque exercitus unum haberet Capitaneum, unus namque exercitus habuit triginta millia virorum armatorum.

(LIB. II. CAP. I. §. 3.)

Fuerat ex istis Capitaneus ditior et potencior Arpad, filius Alini, qui Alinus interfectus est in herdewebe¹²⁷⁾; non enim potuit Panoniam intrare. Audientes autem Hunni de habitatoribus, quod

optimus esset Donubii fluvius: accepto itaque consilio miserunt nuncium nomine Kwsid, filium Kwnd, ut iret, et totam terram conspiceret, habitatoresque cognosceret. Cumque Kusid venisset, et totam terram conspexisset, et sibi placuisset; deinde venit ad ducem provincie, qui regnabat posterius Athilam, vocatum Zatopolug, salutavit eum de suis, et tunc, pro quo venerat, manifestavit. Hec audiens Zatapolug, gavisus est valde, putabat enim illos esse rusticos, ut venirent, et terram ejus colebant, propter quod nuncium delicatum remisit. Kysid autem de aqua donubii lagenam implevit, et herbam weriarum¹²⁸⁾ ponens in ventre¹²⁹⁾, et de terra nigri salubi¹³⁰⁾ accipiens, ad suos reversus est. Qui omnia peroptima habuerunt. Arpad vero cum suis de aqua donubii cornum implens, ante omnes hungaros omnipotentis Dei clemenciam rogavit, ut Dominus eis terram in perpetuum concederet. Finitis hiis verbis omnes hungari clamaverunt: Deus, Deus, Deus; et ibi inventus est usus, quem modo hungari observant. Deinde ad predictum Ducem, eundem remiserunt nuncium, et ei equum album cum sella deaurata, et deaurato freno miserant pro terra sua. Quo viso dux ille magis gavisus est, putabat, quod pro quadam terra misissent, unde breviter dicendo Dux . . .¹³¹⁾

(LIB. II. CAP. I. §. 4.)

. predictos fugiendo ante hunnos, in donubium est suffocatus. Qui quidem Arpad mortuo Zathopolug castra fecit in monte Noe prope Albam.

(LIB. II. CAP. I. §. 5.)

Secundus Capitaneus Zobolcy nomine, unde Cakak¹³²⁾ oritur quidam, descendisse in campo, ubi Cakwara nunc iacet desolata.

(LIB. II. CAP. I. §. 6.)

Tercius vero Capitaneus Gula, eratque iste Gula Dux magnus et potens, qui civitatem Albam in Erdewel in venatione sua invenerat, quae jam pridem a Romanis constructa erat. Habebatque filiam pulcherrimam nomine Soroth¹³³⁾, quam propter pulchritudinem suam Geycha Dux, consilio et auxilio Welud, duxit in uxorem etiam.

(LIB. II. CAP. I. §. 7.)

Quartus Capitaneus fuit Kund, cujus filius Kysid, et Cupan prope Nye¹³⁴⁾ fixit tentoria, ubi post baptismum monasterium construxit.

(LIB. II. CAP. I. §. 8.)

Quintus Leel est nominatus; ex isto Zuard generatio oritur.

(LIB. II. CAP. I. §. 9.)

Sextus wyr Bulchu¹³⁵⁾, qui circa Walatun sua tabernacula fixisse approbatur.

(LIB. II. CAP. I. §. 10.)

Septimus Wrus¹³⁶⁾; istius siquidem generatio circa Seo-loam¹³⁷⁾ habebat.

(LIB. II. CAP. I. §. 11.)

Alie vero generationes istis sunt pares, et consimiles, acceperunt sibi loca et descensum ad eorum bene placitum. Cum igitur codices quidam contineant, quod isti capitanei septem panoniam introierint, et Hungaria ex ipsis solis edita sit, ac plantata: unde venit generatio Kaak, Akus, Weor¹³⁸⁾, Abe, ac alio-

rum nobilium hungarorum? cum omnes isti non hospites, sed de Scitia descenderint¹³⁹⁾. Si ergo septem soli sunt cum familia, et non plures familie, uxores, filii, filie accipi possunt, servi et ancille: numquid enim cum tali familia regna possunt expugnari? Absit.

(LIB. II. CAP. I. §. 12.)

Accidit autem temporibus Toxon: hungarorum exercitus versus Galliam ascendisse, qui in reditu, Reno transmeato, divisi sunt in tres partes: due sine honore, una cum honore, in Hungariam descendit. Quas duas partes dux Saxonie, sine septem, hungaros omnes interfecit: septem autem ex ipsis reservatis, amputatis auribus, misit in pannoniam. Ite, inquit, ad vestros hungaros, taliter ennarrantes, ut amplius non veniant in hunc locum cumanorum¹⁴⁰⁾, et quia hii septem hungari se occidi cum sociis aliis non elegerunt, communitas talem sententiam dedisse perhibetur: ut omnia, que habebant, amiserunt, quam in re stabili, quam mobili, ab uxoribus et pueris ipsos separantes, pedites sine calceis, proprium nil habere permisit, denique eciam insimul de tabernaculo ad tabernaculum mendicando, usquedum viverent, ire compulerunt. Qui quidem septem, ob offensam huiusmodi, mogoriek¹⁴¹⁾ sunt vocati. Ex istis itaque dampnatis vulgus dicit, non de illis septem capitaneis primis. Preterea isti capitanei *jam dampnati*¹⁴²⁾ VII, cantilenas de se ipsis componentes fecerunt inter se decantari ob plausum secularem, et divulgationem sui nominis...¹⁴³⁾

*qui Zentlazar usque modo Zegun nuncupatur*¹⁴⁴⁾. Et he sic vocate, quod sanctus rex Stephanus omnes illicite procedentes corrigebat, istorum generationes vidit per domos et tabernas cantando, ad ipsorum

sectas et truffas voluit edoceri, qui per singula, qualiter eorum patribus per communitatem acciderat, enarrarunt. Sed beatus Stephanus considerans, quod sine capite et principe nemo bonus extitit, ideo eis commisit, ut ad subjeccionem aversorum sancti Lazari de Strigonia subdere se teneantur, et ideo vocari Zantlazarzygini constat. Constat itaque non tantum septem Capitaneos pannoniam conquestrasse, sed etiam alios nobiles, qui de Scitia descenderunt, qui sunt Wgud, Ed, Chaba, Torda, Kadicha, Werend, Wilchu, Zumbur, Leventha, Oin-pud¹⁴⁵⁾, Mika, Chanad, Wunken, Othmar, Kewy, Kelad, unde in ipsis venerari potest nomen dignitatis plus aliis, nobilitatis vero equaliter.

(LIB. II. CAP. I. §. 13.)

Cum quidam sint hospites, nobilitate pares hungaris, inquirendum est, quare istud esse habuit, cum hungari numero ad implendam pannoniam suffecissent. Geyche namque dux, divino premonitus oraculo, convertere cepit gentem hungarorum ad fidem Christianorum; et dum monitu illos convertere non posset, oportebat quedam armis edomare. Ad quod faciendum, quia plures sue fidei repugnantes, quam adherentes¹⁴⁶⁾, necessarium habuit, desiderium suum divulgare regibus et principibus Christianis. Qui audito hujus desiderio, non solum juvamen transmiserunt, sed etiam personaliter adierunt, quibus fuerat hungarorum crudelitas nociva, ac exitiosa.

(LIB. II. CAP. I. §. 14.)

Intravit igitur primum Deodatus de comitatibus¹⁴⁷⁾ sancti Severini de Apulia, qui fundator extitit monasterii de Tata, et reparator. Iste eciam cum Sancto Adalberto Pragensi episcopo

Sanctum regem Stephanum baptizavit, illius nomen Sanctus Stephanus mutabat, seu mutaverat, quia eum Tatam appellabat. Hujus quidem generatio in panonia non habetur, quia sine herede decessit.

(LIB. II. CAP. I. §. 15.)

Descendit quoque de bavaria Wencelinus, qui cum Sancto Stephano in Symigio ducem Kuppen interfecit. Ex istius sanguine Kaak¹⁴⁸⁾ principium nascitur et origo.

(LIB. II. CAP. I. §. 16.)

Advenerunt etiam hiis diebus Chunt et Paznad¹⁴⁹⁾, qui Sanctum Stephanum in flumine Goron gladio Thetonico accinxerunt. Istorum namque generatio ab istis nominibus distare non videtur. Quos quidem comites tam dux Geycha, quam suus filius, amplis hereditatibus ditavere. Istorum etiam consilio et auxilio rex est Geycha constitutus.

(LIB. II. CAP. I. §. 17.)

Wors¹⁵⁰⁾ autem et Gregorii generatio de Francia est, ex consanguinitate cornes.

(LIB. II. CAP. I. §. 18.)

Renoldi generatio est de Hyspania, cum regina Margaretha, conjuge Wele regis, filii Zaar Ladeslai, panoniam adeuntes.

(LIB. II. CAP. I. §. 19.)

De generatione enim Gunkelad¹⁵¹⁾ plura enarrantur, tamen sunt exorti de Swewia, unde Imperator Fridericus ortum habuit. Qui fuerunt tempore Salomonis regis, Ladislai et Geyche: nam

tunc ipsa generatio in duas partes divisa fuit: quidam ducibus adherentes, quidam Salomoni, et specialiter Wid, quem Salomon exaltasse perhibetur super alios in generatione sua, *cujus curia et mansio fuit in Wuziasloka.*

(LIB. II. CAP. I. §. 20.)

Generationem vero Ratoldi de Apulia exivisse nullus debet dubitare. Fuerunt tempore Colomani regis, filii Geyche regis.

(LIB. II. CAP. I. §. 21.)

Hermani etiam generatio cum regina Kysla in panoniam introivit.

(LIB. II. CAP. I. §. 22.)

Generatio vero Wuzad per regem Stephanum, filium secundi Wele, introducitur in hungariam. Ex isto origo procedit Wusabani, et exinde Hoholtbani¹⁵²⁾.

Communitas itaque hungarorum cum suis capitaneis hec et alia hujusmodi usque ad tempora Toxun Ducis gessisse perhibetur.

(LIB. II. CAP. II. §. 1.)

Porro Toxun genuit Geycham et Michaellem. Michael vero genuit Calvum Latislaum et Wazul. Geycha divino premunitus oraculo, genuit Sanctum Stephanum ex Sarolt, filia Gyula, anno divine incarnationis Domini CCCCXLIX¹⁵³⁾. At rex Stephanus plures genuit filios, sed inter alios genuit Emericum, Deo et hominibus amabilem. Hic autem per divini consilii iudicium raptus est de medio.



(LIB. II. CAP. II. §. 2.)

Sanctus autem rex Stephanus in adolescentia sua contra Cuppan ducem Symigiensem forte bellum commisit, et gloriosum. Erat enim Cuppan filius Calvi Zirind, et eodem prelio Wenzelinus Cuppan ducem interfecit, cujus corpus in quatuor partes est divisum. Nam universum populum in provincia Cuppan ducis degentem, decimas liberorum, frugum ac portarum suarum cenobio Sancti Martini Sanctus rex perpetuo dare decrevit.

(LIB. II. CAP. II. §. 3.)

Post hoc beatus Stephanus bellum gessit anno Domini MII. contra Gulam, awunculum suum, qui tunc ultra totius Silvam regni¹⁵⁴⁾ gubernacula possidebat; et ipsum Gulam cum uxore et duobus filiis captum in Hungariam misit. Hoc ideo, quia pluries a beato Stephano amoniti ad fidem Christianam non sunt conversi, et ipsum regnum Erdewel Monarchie Ungarie adjunxit.

(LIB. II. CAP. II. §. 4.)

Post hoc movit exercitum super ducem Kaan Wlgarorum et Scavorum, quem devicit, et occidit, et locavit ibi proavum suum nomine Zoltan, et inestimabilem copiam thesaurorum ejus, precipue in auro et gemmis, ac preciosis lapidibus accepit. Ex hac itaque gaza Sanctus Stephanus albensem basilicam, quam ipse fundaverat, plurimum ditavit. Et quia pecunia illius Gule et Ban fuit male aquisita, ideo ipsa Ecclesia patitur incendium, et etiam de thesauro dicti Kan¹⁵⁵⁾ fundavit Ecclesiam in honore apostolorum petri et pauli in Sicambria: sed perficere non potuit. Perfecit autem Sanctus rex Ladislaus.

(LIB. II. CAP. II. §. 5.)

Cum beatus Stephanus post mortem Sancti Emirici nimium se vidisset infirmum, misit festinanter Wudam, filium Egeruh, qui Wazul patruelem sui filii¹⁵⁶⁾, quem incluserat rex propter juvenilem lasciviam, ut corrigeretur, de carcere nytrie educeret, ut eum, antequam moreretur, regem constitueret. Audiens autem hoc Kesla, consilium cum Wuda iniit, et festinanter nuncium nomine Sebus, ipsius Wuda filium, ad carcerem, ubi Wazul detenebatur, misit, qui preveniens nuncium regis, effodit oculos Wazul, et concavitatem aurium ejus plumbo obduravit, et recessit in Bohemiam. Post hunc autem venit nuncius regis, Wazul et¹⁵⁶⁾ oculis orbatum in ejusdem vulneribus duxit ad regem. Quem Sanctus rex videns tam miserabiliter destructum, fletum continere non potuit, sed in predictae egritudinis molestia debitam penam malefactoribus inferre non potuit.

(LIB. II. CAP. II. §. 6.)

Beatus autem rex Stephanus Sanctitate et gracia plenus XLVI. anno regni sui a presenti seculo nequam eripitur, et in Alba ecciam tumulatur.

(LIB. II. CAP. II. §. 7.)

At regina Keysla cum Wuda Petrum Alemannum, fratrem regine, regem preficere statuerunt.

(LIB. II. CAP. II. §. 8.)

Anno ergo regni Petri tertio principes Hungarorum consilio episcoporum convenerunt adversus Petrum regem, quaerebantque solcite, si aliquem de regali progenie invenire potuissent in regno, qui ad gubernandum regnum contra seviciam Petri es-

set ydoneus. Cumque alium non invenissent, de se ipsis Abam sororium Sancti Stephani super se regem elegerant.

(LIB. II. CAP. II. §. 9.)

Qui post hoc inter Hungaros crudeliter agebat, pro quo suo facto beatus Gerhardus episcopus Canadensis canonica severitate corripuit, et sibi periculum imminere predixit.

(LIB. II. CAP. II. §. 10.)

Ad ultimum, circa Tyssam, ab Hungaris, quibus nocuerat, crudeliter jugulabatur, et sepultus est in suo proprio monasterio in Saros.

(LIB. II. CAP. II. §. 11.)

Interim Petrus rex totam Hungariam tam magnis afflixit angustiis, ut magna¹⁵⁷⁾ eligerent mori, quam ita miserabiliter vivere.

(LIB. II. CAP. II. §. 12.)

Tunc nobiles Hungari in Canad convenerunt, consilioque habito tocius Hungarie, nuncios miserunt in Rusciam ad Andream et Leventha, filios Calvi Latslai, qui ex consilio Sancti Stephani regis exierant Hungaria; dicentes eis, quod totalis Hungaria eos fideliter expectaret, et universum regnum eis, sicut regali semini, libenter obsequeretur, tantum eos a furore Theutonicorum liberarent.

(LIB. II. CAP. II. §. 13.)

Petrus autem rex videns Hungaros unanimiter adhesisse ducibus, qui pre nimio dolore fugam iniit versus Munsun¹⁵⁸⁾, pernoscens se non posse evadere manus ducum, se dedit capti-

vare. Qui statim fuit obcecatus, et Albam ductus, qui pre nimio dolore vitam in brevi finivit. Sepultus etiam est quinque ecclesiis in basilica, quam fundaverat.

(LIB. II. CAP. II. §. 14.)

Porro dux Andreas anno Domini MXLVII. coronatus est, qui postea per Hungaros in porta Musun captus est, et negliger detentus, in Silva Wukon mortuus est, et sepultus in Tyhon juxta lacum Walatun, cum suo filio David.

(LIB. II. CAP. II. §. 15.)

Post hoc dux Wela coronatur. Tenuit autem regnum pacifice, et quesivit bona genti sue. Qui mortuus est, et sepultus in loco, qui dicitur Zukard¹⁵⁹⁾.

(LIB. II. CAP. II. §. 16.)

Post hoc regnavit Salomon. Tempore cujus pagani a superiore parte Mezes provinciam Nyr usque civitatem Wihar devastarunt. Rex vero Salomon, animositatis audacia quasi reptando¹⁶⁰⁾ ad paganos ascendit, qui super eum sagittarum imbres effundebant. Dux autem Geycha sagittis irruit super Cunos; cujus frater Latislaus ex fortissimis paganorum primo impetu quatuor interfecit, et a quinto per Sagittam graviter est vulneratus, sed Divina miseracione cito est curatus. Vidit denique beatus Latislaus Dux unum paganorum, qui super dorsum equi sui ducebat unam puellam Hungaram speciosam. Sanctus ergo dux Latislaus illam esse filiam varadiensis Episcopi, *videlicet Kunves Colomani*¹⁶¹⁾; et quamvis esset vulneratus, tamen illum celerime persecutus. Clamavit itaque Sanctus Latislaus: Soror speciosa! accipe Cunum in cingulo, et jacta te in terram. Quod et

fecit. Cum in terra jacentem voluit interficere, quem puella valde rogavit, ne illum interficeret; unde per hoc notatur, quod in mulieribus fides non est. Sed postea interfecit. Rex ergo, et gloriosi duces, fere omnibus paganis interfectis, et omnibus Christianis a captivitate liberatis, cum triumpho victoriae gaudentes redierunt.

(LIB. II. CAP. II. §. 17.)

Factum autem est tertio anno post adventum Cumanorum: Bisseni per Albam Vulgaricam venientes, transnaverunt flumen Zawa, in campum Wizias, et non modicam gentem captivorum diripientes, in suam terram abduxerunt. Rex autem et duces imposuerunt crimen tradicionis albe Vulgarice, eo, quod pace defraudata voluntarie permisisset latrunculos Bissenorum depredare Hungariam. Collectis itaque exercitibus, rex in Nandwr Weruar¹⁶²⁾ Zavam transivit. Greci autem et Vulgari simul contra Hungaros tenebant¹⁶³⁾, sed post fugam Grecorum et Nikocha ducis, Hungari civitatem obsederunt, et innumerabilem pecuniam exhausserunt. Multo magis Greci et vulgari confidebant de lenitate Geyche, quam de Salomone: ad manus regis Salomonis pauci confidebant, quod noverant ipsum esse austum et pessimis consiliis Wid auscultantem. Hec ergo fuit causa discordie inter eos.

(LIB. II. CAP. II. §. 18.)

Qui quidem rex Salomon per duos duces devictus fuit, et fugit ante eos in Posonium.

(LIB. II. CAP. II. §. 19.)

Post fugam vero Salomonis Geycha dux, compellentibus Hungaris, coronatus. Qui post coronationem fundavit Ecclesiam

Wachiensem, et post multa bella gravem infirmitatem incidit, et mortuus, Wacieque tumultatus est.

(LIB. II. CAP. II. §. 20.)

Audita vero morte Geichae regis, convenit universa multitudo Hungarie, comuni consensu Latizlaum ad gubernacionem regni elegerunt.

(LIB. II. CAP. II. §. 21.)

Ipse primus Dalmaciam et Croachiam sue monarchie perpetuo subjugavit. Cum enim rex Zonierus¹⁶⁴ sine liberis decessisset, ejus uxor, regis soror Latizlai, ab inimicis viri sui multis injuriis pregravata, auxilium sui fratris Latizlai regis in nomine Jhesu Christi postulavit. Cujus injurias rex graviter vindicavit, et Croachiam atque Dalmaciam sibi restituit. Quam propterea predicta regina subdidit Dominio, quod secundum justitiam legalem sibi competebat hereditas.

(LIB. II. CAP. II. §. 22.)

Post hoc autem rex Latizlaus deprehendit furibundum Salomonem, et captum misit in Wisegrad in carcerem. Sed postmodum dimissus est de carcere in elevacione corporum sancti Stephani regis et beati Emerici confessoris.

(LIB. II. CAP. II. §. 23.)

Post multos vero labores et pugnas migravit ex hoc seculo ad Dominum, et sepultus est pole in civitate Ystrie.

(LIB. II. CAP. II. §. 24.)

Post cujus obitum sanctus rex Latizlaus regnavit XIX annis,

et tribus mensibus, et tribus diebus. Migravit ad Dominum MXC. nono Kal. Augusti; cujus sanctissimum corpus Waradini devotissime veneratur.

(LIB. II. CAP. II. §. 25.)

Post ipsum regnavit Colomanus, filius Geycha regis. In cuius temporibus mala sunt multa perpetrata. Ipse enim Welam, filium Ducis Almus, adhuc infantem, tractum de matris gremio, excecavit, ut non sit dignus portare coronam sancti regis. Iste Colomanus fuit episcopus warathiensis; sed quia fratres, quos habebat, morte sunt preventi, ideo summo Pontifice cum eo dispensante regnare compellitur. Qui ab Hungaris Kunves Calaman appellatur, eo quod libros habebat, in quibus horas canonicas, ut episcopus, persolvebat.

(LIB. II. CAP. II. §. 26.)

Regnavit autem annis XVIII, mensibus sex. Migravit ex hoc seculo anno Domini MCXIII., cujus corpus albe quiescit.

(LIB. II. CAP. II. §. 27.)

Cui successit Stephanus filius ejus, qui regnavit annis decem, et mortuus est anno Domini MCXXXI, cujus corpus Waradini quiescit.

(LIB. II. CAP. II. §. 28.)

Post ipsum regnavit cecus Wela. Crevit itaque primum cecus regnante Stephano, filio Colomani regis, et mortuo ipso coronatur. Et genuit quatuor filios: Geycham, Latizlaum, Stephanum, et Almun.

(LIB. II. CAP. II. §. 29.)

Cujus uxor, nomine Helena, habito consilio regis, illos quorum consilio fuerat obcecatus, juxta Arad crudeliter fecit truncare.

(LIB. II. CAP. II. §. 30.)

Regnavit igitur ipse Wela cecus IX annis, et mortuus est anno Domini MCXLI., et corpus ejus albe requiescit.

(LIB. II. CAP. II. §. 31.)

Regnavit autem post eum Geycha, filius ejus, annis XX, mensibus tribus, et mortuus est, et requiescit Albe regali ¹⁶⁵).

(LIB. II. CAP. II. §. 32.)

Postea regnavit Wela, filius ¹⁶⁶) ejus, XX annis, et mortuus est MCXCIX.

(LIB. II. CAP. II. §. 33.)

Cui successit Emericus filius ejus, et regnavit annis VIII. Hujus uxor Domina Constancia, filia regis Aragonie. Mortuus est anno Domini MCC. Corpus ejus requiescit in Ecclesia Agri-gensi ¹⁶⁷). Post hoc regnavit filius ¹⁶⁸)

(LIB. II. CAP. II. §. 34.)

¹⁶⁹) Endre filius Wele, filius ¹⁷⁰) Geyche, filii ceci Calmani ¹⁷¹). Cujus uxor fuit Domina Gertrud de Almania, de qua genuit Welam, Colomanum, Andream, et beatam Elizabeth. Sed per dholos humani generis inimici procul dubio, uxorem Wankbani, magnifici principis, domina memorata vi tradidit cuidam suo fratri hospiti deludendam. Quam ob causam idem Wankbanus, de

genere Woor, suum gladium in regine sanguine miserabiliter cruentavit, et diro mucrone anno Domini MCCXII interfecit, cujus corpus in monasterio de Pylis tumulatur. Pro cujus nece in omni genere Wankbani execrabilis et orendus est sanguinis effusio subsecuta.

(LIB. II. CAP. II. §. 35.)

Post hoc rex Endre terram sanctam visitavit, ad mandatum Domini Pape implens votum patris sui. Mansit autem ibidem tribus mensibus.

(LIB. II. CAP. II. §. 36.)

Regali denique thesauro exposito, diversorum sanctorum reliquie per ipsum comparantur.

(LIB. II. CAP. II. §. 37.)

Transactis itaque IX annis, rex gloriosam suam filiam Elizabeth nobili viro Ludwico Turingie Landgravio in Christo copulavit.

(LIB. II. CAP. II. §. 38.)

Migravit autem rex Endre anno Domini MCCXXXV., XXX anno regni sui. Cujus corpus in monasterio Abbatum de Egres juxta fluvium Morus requiescit¹⁷²⁾.

(LIB. II. CAP. II. §. 39.)

Rex Wela filius ejus post eum coronatus est in Kathedralli Ecclesia beati Petri in alba, quam ipse consecrari fecit, Colomano¹⁷³⁾ duce, fratre ejusdem ensem regalem ad latus ejus honorifice tenente, Samuele vero duce Ruthenorum¹⁷⁴⁾ equum suum ante ipsum summa cum reverencia ducente.

(LIB. II. CAP. II. §. 40.)

Tempore autem istius Wele regis anno Domini MCCXLI. Tataři cum quinquies centenıs milibus regnum Hungarie invaserunt, contra quos Wela rex, juxta fluvium Seo¹⁷⁴⁾ *prope villam Muhi* prelians, vincitur. In quo prelio mortuus est Ugrinus Archiepiscopus de genere Kaak, et fere extinguitur militia Hungarie universa. Ipse vero Wela rex ad mare fugam fecit, et Tartarı usque *ad insulam Raab* vocatam ipsum sunt insecuti: *Colomanus vero regis frater letaliter vulneratus, in sua fuga viam universe carnis est ingressus. Cujus corpus tumulatur in villa Yvanth in Ecclesia Weginarum*¹⁷⁵⁾. Manserunt enim ipsi Tartarı in Hungaria tribus annis, et quia seminare non poterant Hungarı, ideo multo plures post exitum illorum fame perierunt, quam in captivitatem ducti sunt et gladio ceciderunt.

(LIB. II. CAP. II. §. 41.)

Post 13^o, anno Domini MCCXL¹⁷⁶⁾, congregavit exercitum contra Ottogarı regem Bohemie circa Moraviam, cum filio suo Stephano Duce, et Alpra duce Cumanorum: sed victus fuit circa Haymburg. Erat enim vir pacificus, non fortunatus.

(LIB. II. CAP. II. §. 42.)

Ipsius eciam tempore, anno Domini MCCXLIII¹⁷⁷⁾ plebs flagellis se feriendo, universe discurrebant.

(LIB. II. CAP. II. §. 43.)

Obiit autem anno Domini MCCLXX, feria sexta in festo invencionis Sancte crucis, in insula Wudensi, et sepultus est Strigonii apud fratres minores in Ecclesia beate virginis, quam edificare ipse inchoaverat, cum consorte sua Maria nomine, Impe-

ratoris filia Gregori¹⁷⁸⁾, et duce Wela, suo filio, feliciter requiescunt. *In qua ecclesia etiam nunc Domina Agatha, cujus ossa de Sancto Yrineo de Ecclesia fratrum minorum contumularunt, requiescit.* Cujus quidem corpus Wele regis philippus archiepiscopus strigoniensis in ecclesia memorata auferri exhumando fecerat contra jura, et in sua Kathedrali Ecclesia indebite tumulari. Super quo facto coram summo pontifice causa diu ventilata, fratres minores cum honore maximo rehabere meruerunt.

(LIB. II. CAP. II. §. 44.)

Post ipsum anno Domini MCCLXX cepit regnare Stephanus filius ejus, qui Ottogaram regem Bohemorum, cum diversis nacionibus in Hungariam venientem, ad fluvium Rabcha devicit viriliter, et fugavit. Postea Wuden, civitatem Vulgarorum, et Vulgaros superans, regem eorum sibi compulit deservire. Regnavit autem duobus annis, et mortuus est in magna insula, et sepultus est in ecclesia beate virginis in insula Wudensi, in loco beginarum.

(LIB. II. CAP. II. §. 45.)

Cui successit Ladizlaus filius ejus, et coronatus est eodem anno, quo mortuus est pater ejus, videlicet anno D. MCCLXXII. Qui rex Ladizlaus anno Domini MCCLXXVI. Imperatore^{**)} adjuvante, circa Moraviam occidit regem Ottogaram supradictum in prelio.

(LIB. II. CAP. II. §. 46.)

Postea anno Domini MCCLXXXII¹⁷⁹⁾ Oldamyr Dux Cumanie, congregato exercitu Cumanorum circa lacum Hoold vo-

catum, volens hostiliter invadere regnum Hungarorum, ut suo dominio subjugaret: contra quem rex Ladizlaus, ut fortis Josue pro gente sua pugnaturus, accessit. In cujus exercitu Lorandus filius Thoma, miles strenuus, contra Cumanos lanceavit cum impetu plurimos percussit et prostravit. Postea cum prelium committeretur inter partes, subito ex divina clemencia pluvia grandis exoritur contra faciem paganorum, et qui in arcubus sperabant, et sagittis, propter imbrium densitatem juxta propheticum: facti sunt ut stercus terre. Et sic rex Ladizlaus victoriam obtinuit divino fretus auxilio.

(LIB. II. CAP. II. §. 47.)

Tandem postea pauci, qui ex ipsis remanserant, ad Tartaros fugierunt, quorum instinctu Tartari anno Dom. MCCLXXXV secunda vice in Hungariam venerunt, et usque Pest universa miserabiliter combusserunt.

(LIB. II. CAP. II. §. 48.)

Iste enim rex Ladizlaus filiam regis Karuli de apulia in conjugium habebat, sed spreto thoro conjugali filiabus adhesit Cumanorum, Ayduam, et Mandulam, ac alias quam plures in concubinas habebat, quarum amore cor ejus est morte dampnatum¹⁸⁰⁾, et a suis jobagionibus¹⁸¹⁾ et regni nobilibus habebatur odio. Tandem philippus Firmanus advenit, sedis Apostolice legatus, multa contra mores Christianorum habebat, abusus emendabat, regem eciam anatheumatis vinculo feriens, ut paganos odiret, ritum Christianorum diligeret, et thoro vuteretur conjugali. Sed nichil proficiens in rege, repatriavit.

(LIB. II. CAP. II. §. 49.)

Post in brevi tempore ipse rex anno Domini MCCXC feria secunda ante festum beate Margarete prope Castrum Chyrusug ab ipsis Cumanis, videlicet Arbuz, Turtel, ac aliis, quibus ipse adhererat, miserabiliter est interemptus. *Nicolaum fratrem Aydua dictum iidem letabiliter*¹⁸²⁾ *vulnerarunt.*

(LIB. II. CAP. II. §. 50.)

Tempore istius regis cepit hungaria deflecti, ac anichilari.

(LIB. II. CAP. II. §. 51.)

Post cujus obitum eodem anno Dux de veneciis coronatur, qui vivente adhuc Ladizlao rege deductus fuerat. *Corpus autem regis Ladizlai tumulatur Chanadini in ecclesia Cathedrali*¹⁸³⁾. Cujus quidem Andree regis ortum, et originem videamus, qua ratione meruit coronam hungarie accipere: Cum enim rex Endre, pater bele regis et Colomani ducis, interfecta prima uxore sua, ut superius diximus, mare ad mandatum Ecclesie transfretasset ad terram sanctam, ibi victor existens revertebatur cum honore magno: tandem in Italiam applicuit, et quadam vice apud Marchionem Estensem magnifice hospitatus. Ille vero marchio recognoscens regem esse viduum, filiam suam nomine¹⁸⁴⁾, excellenter pulchram et bene ornatam aspectui regis fecit astare ad mensam. Rex vero videns eam pulchram et suis oculis gratiosam, cum absque hoc ducere vellet uxorem, cum eadem puella eadem die contraxit, in hungariam secum duxit. Mortuo vero rege Endre, domina ista volens redire ad suos parentes, convocatis principibus regni Hungarie, archiepiscopis et episcopis, se gravidam prole manifestis indiciis monstravit, et sic est reversa in terram suam, et ibi apud patrem suum masculum peperit,

quem in baptismo Stephanum vocaverunt. Qui nutritus et eductus est sub hoc tytulo, quod esset filius regis hungarie. Tandem ad ultimam deveniens etatem, voluit usurpare marchionatum dolose avi sui; sed avus suus prevalens ipsum auffugavit, et ipse Stephanus abiit fugiens in hyspaniam ad Jacobum regem Aragonie, qui habebat in uxorem illius sororem Stephani, filiam regis Endre regis hungarie. Et ibi aliquamdiu commoratus, iterum in Italiam veniens, electus est potestas a civibus in Ravenna. Inde fugatus venit Fenecias. Ibi autem vir quidam, civis Fenetum, civitatis pocior et dicior, cognoscens et sciens veraciter, hunc esse filium regis hungarie, tradidit sibi filiam suam in uxorem, et omnium suorum bonorum participem eum constituit. Ex illa autem Stephanus habuit filium, quem Andream, nomine patris sui, vocavit. Qui Andreas consilio et auxilio avunculorum suorum, qui erant infinitarum diviciarum, vivente adhuc rege Ladizlao, in hungariam subintravit, eo quod esset dux, qui habere deberet porcionem in regno, tytulo regis Endre avi sui. Cum autem rex Ladizlaus fuisset occisus, a baronibus regni coronatur: qui anno secundo regni sui cum exercitu maximo Austriam debellavit.

(LIB. II. CAP. II. §. 52.)

In cujus imperio quidam magni principes regni hungarie, videlicet: *Ugrinus filius Magistri Pous de genere Kak, Johannes, Nicolaus et Henricus Banus filii Henrici, Magister Laurencius dictus Chete cum filio suo Magistro Zleukus*¹⁸⁵⁾, ac alii plures in prejudicium regis Andree a papa Bonifacio VIII. regem pecierunt. Quorum instanciam papa admittens, quemdam puerum XI annorum nomine Karolum anno Domini MCCXCIX, vivente adhuc Andrea rege, in hungariam destinat. Cujus Karuli generacio et origo taliter habetur: Rex Stephanus, filius

Bele, habuit duas filias, Mariam, et *Katherinam*. *Dominam Katherinam tradidit Stephano, regi Sclavonie* ¹⁸⁶⁾, Mariam vero Karulo claudo, qui ex ordinacione Ecclesie fuit rex Sicilie, qui rex Karulus claudus ex illa filia Stephani regis Karolum Martellum vocabulo, Karolus vero Martellus ex filia Imperatoris Rudolphi, Clemencia nomine, genuit filium, quem primo vocaverunt Karobertum, in hungaria autem Karolum vocaverunt. Ut autem iste Karolus regnare valeret, et contra regem Andream potestatem accipere, papa prefatus Legatos unum et alium de latere suo destinat, qui nichil agere valentes, ad propria redierunt.

(LIB. II. CAP. II. §. 53.)

Interim anno Domini MCCC. in festo Sancti Felicis in pincis idem rex Andreas in castro Budensi requievit in Domino, et sepultus est in Ecclesia beati Johannis Evangeliste, apud fratres minores.

(LIB. III. CAP. I. §. 1.)

Postea mortuo rege Andrea Barones regni ¹⁸⁷⁾ duas partes scinduntur, ita, quod Ugrinus, Matheus, et homodeus, ac ceteri pociores regni Karolo puero adhererunt: Dominicus vero filius Stephani, Demetrius filius Nicolai, et Henricus Henrici filius cum Johanne archiepiscopo Colociensi, aliis quibusdam episcopis, versus Bohemiam processerunt ad regem Wencezlaum, ut regni susciperet gubernacula hungarorum, ne regni libertatem amitterent in susceptione per Ecclesiam dati regis. Ad ipsum autem regem Bohemie ob hanc racionem posuerunt gressus suos, quia rex ottagarus, qui per regem Ladizlaum fuit interfectus, habebat in uxorem filiam domine Anne, filie Bele

regis, qui ex ea genuit filium nomine Wencezlaum, qui regnavit in bohemia, patre mortuo, multis annis.

(LIB. III. CAP. I. §. 2.)

Qui Wencezlaus venire noluit, sed filium suum, ex filia Imperatoris procreatum, nomine similiter Wencezlaum, in quadam villa Godyn nomine, quo prenominati nobiles et episcopi convenerunt, in regem hungaris tradidit naturalem, et ipsi confectis litteratarum¹⁸⁸⁾ instrumentis et roborato fidei firmamento, unanimiter susceperunt. Abhinc Te Deum laudamus cantantes, in Albam regalem devenerunt, ubi Johanes archiepiscopus Colociensis, cum aliis episcopis, honorifice coronaverunt. Sedes namque archiepiscopatus Strigoniensis vacabat, *sed electus ipsius Ecclesie erat Gregorius, filius Wotend, custos tunc Albensis Ecclesie.* Inde Budam venientes, ibique Johannes archiepiscopus obdormivit in Domino, et Jacobus episcopus Zipisiensis quievit in pace. Quorum corpora tumulantur in Ecclesia Sancti Johannis Evangeliste apud fratres minores.

(LIB. III. CAP. I. §. 3.)

Postea rege jam dicto, quem in Hungaria Ladizlaum vocabant, in Buda degente, nullum castrum, nullum jus regale conferuntur.

(LIB. III. CAP. I. §. 4.)

Rex Wencezlaus pater ejus considerans palleatas versucias *et non sanam partem* hungarorum, anno Domini MCCCIII cum multitudine exercitus pannoniam est ingressus, et Ladizlaum filium suum cum corona regni accipiens, et Ladizlaum filium Wernah, et alios cives burgenses non nobiles capiens, in suum regnum revertitur in pace.

(LIB. III. CAP. I. §. 5.)

Eodem tempore frater Nicolaus de ordine predicatorum, tunc hostiensis ¹⁸⁹⁾ *et welletrensis*, apostolice sedis legatus, pro Karolo rege in Hungariam venit. Qui Bude residendo diebus plurimis, videns se nichil proficere, reversus est in Curiam, et ibi, mortuo Bonifacio papa VIII. in summum pontificem electus et creatus, et Benedictus appellatus.

(LIB. III. CAP. I. §. 6.)

Interim vero filii Henrici et quidam alii minus nobiles ¹⁹⁰⁾ per filium regis Bohemie proficere non valuerunt, Ottonem ducem Bavarie subintroducunt in regnum Hungarie, qui coronam regi ¹⁹¹⁾ Wencezlao ablatam secum ferens, anno Domini MCCCXV albam regalem peciit, et ibi coronatur in regem. Qui in brevi in Transsilvanis partibus cum Beka, filio Thome, venit, ubi Ladizlaus boyvoda ipsum captivavit, et in castro suo tenuit multis diebus. *Et postea idem Ladizlaus Boyvoda Ottonem Ducem Magistro Wogrino, pre omnibus faventi Karolo regi, in Zegedino tradidit ad suum libitum*, qui postmodum dictum Ottonem ducem de regno expulerunt.

(LIB. III. CAP. II. §. 1.)

Cum ergo Carolus rex *Bude* moraretur, *nec haberet aliud de jure regali preter Pazagavar cum suis pertinenciis, quod castrum restituerat sibi Wogrinus conservator suus*; frater Gentilis tituli Sancti Martini in montibus presbiter Cardinalis, de ordine fratrum minorum, ex auctoritate summi pontificis, anno Domini MCCCIX. pro rege Carolo in Hungariam venit, qui multos barones, et nobiles, et specialiter Ladizlaum Woyvodam pro

corona regni, quam de Ottone duce abstulerat, anathematis vinculo innodavit.

(LIB. III. CAP. II. §. 2.)

Anno Domini MCCCXII. cum rex Karolus regale castrum Sarus vocatum, a Demetrio Nicolai filio ex mandato Mathei de Drinkin¹⁹²⁾ possessum, suis viribus obsederet; idem Matheus omnes suos milites, quos potuit, contra regem Karolum in adiutorium Demetrii destinavit, ut ipsum regem de suo castro pelleret prepotenter. Quorum adventum rex audiens, putavit se non posse resistere, in Zepus se recepit, et inde cum equitibus et peditibus egrediens, circa fluvium Harnald cum exercitu Mathei in pugnam devenit, quos viriliter devincens, multos ex eis interfecit. Demetrius vero, et Aba de Sempte, ac duo filii omodei, debita persolverunt. Ex parte autem regis decesserunt: videlicet: Magister Kobas filius or¹⁹³⁾, filius Bagon¹⁹⁴⁾, Ladizlaus filius Thome, Jacobus filius Aladarii, Michahel filius Petri, Gurka et Michahel filii Gurka, et alii multi preclari nobiles Hungarie sub vexillo regis corruerunt, interempto Gurk vexillario regis, et rex, illo cadente, sub vexillo cruciferorum pugnavit, et Dei gratia victoriam obtinuit.

(LIB. III. CAP. II. §. 3.)

Anno Domini MCCCXVI¹⁹⁵⁾ Domina Maria, prima consors domini regis, nacione Polona, tertia die post festum Sancte Lucie, in Tumuswar vitam presentem feliciter terminavit. In Alba regali est sepulta.

(LIB. III. CAP. II. §. 4.)

Anno Domini MCCCXVIII, accepit rex Dominam Beatricem,

filiam regis Romanorum, sororem regis Bohemorum, que in revolutione ejusdem anni obdormivit in Domino, et Waradini in Ecclesia kathedrali tumulatur. *Eodem anno rex habuit filium de cuncumbina sua, quam acceperat de magna insula Donubi, quem appellavit Colomanum. Secundo anno mortuus est Matheus Palatinus.*

(LIB. III. CAP. II. §. 5.)

Anno Domini MCCCXX. accepit rex filiam Ladizlai Polonorum, Elizabeth nomine, de qua anno Domini MCCCXXI. filium habuit, qui eodem anno mortuus est, et Albe sepultus.

(LIB. III. CAP. II. §. 6.)

Anno Domini MCCCXXIII. in Wissagarad in festo Sancti Remigii de eadem regina habuit filium nomine Ladizlaum.

(LIB. III. CAP. II. §. 7.)

Anno Domini MCCCXXV. inchoavit Dominus rex fratribus minoribus edificare Ecclesiam in Lipva ad honorem beati Loys, novi sancti Episcopi Tholosani, qui fuit frater carnalis patris sui, scilicet primogenitus Karoli regis Sicilie, filius Marie regine, filie Stephani Hungarorum regis, filii Bele III.

(LIB. III. CAP. II. §. 8.)

Anno Domini MCCCXXVI. natus est eidem regi filius, quem nomine consanguinei sui Loys appellavit.

Anno Domini MCCCXXVIII¹⁹⁶⁾ feria quarta ante Dominicam Palmarum Ecclesia beate virginis de Alba regali, quamvis plumbo tecta fuisset contra incendium, flebiliter est combusta,

uno campanuli¹⁹⁷⁾ excepto, quod est supra sacristiam, ubi sanctorum reliquie conservantur, quod nemo dubitat eorum meritis remansisse.

(LIB. III. CAP. II. §. 9.)

Anno Domini MCCCXXX. feria sexta ante festum beati Martini in terra Bazarad Karolus rex fraudulenter est devictus, et multi Hungarorum barones et nobiles, inter quos Andrea prepositus Albensis, miserabiliter sunt interempti.

EXPLICIT CRONICA REGNI HUNGARIE.

ANNOTATIONES.

AD

LIBRUM I. SEV CHRONICON HVNORVM.

(Pag. 1—20.)

- ¹⁾ *Kézai*: et Gotfridus.
- ²⁾ *Kézai* apud Horányium iuxta cod. Kósaianum et *Chron. Bud.* habent: XXII, XXXIII, XVII. Iterum *Kézai* apud Podhradczkyum iuxta exemplar Eszterházyanum, et apud Endlicherum iuxta Zsámbokianum bibliothecae augustae Viennensis: XXV, XXXVII, XVII. *Chron. Vienn.*, item Illésházyanum *Dubnicense* habent: De Japheth XV, de Cam XXX, de Sem vero XXVII. *Turócius* demum: de Sem XXVII, de Cham XXX, et de Japhet XV.
- ³⁾ *Kézai*: Thana.
- ⁴⁾ *Kézai* apud Podhradczkyum habet: diversimode petris coloratis, diversiusque astracatas. *Chron. Bud.*: et diversis *abstractis*, quam vocem Podhradczkyus sic correctam vult: *astragatis*, quae illi columnarum celaturas denotant, vocabulo, quod ei ex substantivo Astragalus (Vitruv. L. III. et IV.) detorsum esse videtur.
- ⁵⁾ *Kézai*: de Memphis; *Chron. Bud.* de ymphis.
- ⁶⁾ Supple e Kézaio et *Chron. Bud.*: *dant* colorem.
- ⁷⁾ *Kézai*: Euilath. *Chron. Vienn.* et *Dubn.* Euilat; *Bud.* eiulath; *Turócius*: Evilath.
- ⁸⁾ *Kézai*: Enech. *Chron. Vienn.* Enek, *Bud.*, *Dubn.* et *Tur.* Enech.
- ⁹⁾ Corrige: sui, cum Kézaio et *Chron. Bud.*
- ¹⁰⁾ Sic, licet erronee, habet etiam *Chron. Bud.*; rectius *Kézai*: incedebant.
- ¹¹⁾ *Kézai*: Belar; *Chron. Vienn.*, *Bud.* et *Turócius*: Bereka; *Dubn.*: Berela.
- ¹²⁾ Omnes alii: Dule habent.
- ¹³⁾ *Kézai*: Alpzuros; *Chron. Vienn.* et *Dubn.*: Alplozuros; *Bud.* et *Turócius*: alprosuros.
- ¹⁴⁾ *Kézai*: et Prutenos. *Chron. Vienn.*, *Bud.* et *Dubn.* cum nostro Poseniensi habent: qui nunc Pruteni nominantur. *Turócius*: quos in prioribus chronicis hungarorum nunc *Ruthenos* vocari scripserunt.
- ¹⁵⁾ *Kézai*, dein *Chron. Vienn.*, *Bud.*, *Dubn.*: inuitis uicinis.
- ¹⁶⁾ Supple cum ceteris chronographis: *possidere*.
- ¹⁷⁾ *Kézai*, *Chron. Vienn.* et *Bud.* habent Rifeis; *Dubn.* cum nostro: niveis.
- ¹⁸⁾ Solus *Kézai* addit: a zona torrida distans.

- 19) Sic, cum nostra compilatione, habent *Chr. Vienn., Bud., Dubn., Turóciusque*. Aliter *Kézai*, qui ita continuat: Oriuntur etiam in eodem duo magna flumina, uni nomen Etul, et alterius Togora.
- 20) *Kézai* locum hunc paulo serius inserit, ubi de grifonum nido locutus est. *Chr. Vienn., Bud., Dubn. et Turócius* eundem cum nostro ordinem sequuntur.
- 21) Sic ceteri omnes. *Kézai* tamen Jorianorum scribit.
- 22) Corrige: minor; qui error e compendio scripturae irrepsit. Sic *Chr. Vienn.* habet: mior, cum virgula horizontali voci superinposita.
- 23) Habent hunc locum cetera etiam chronica, excepto tamen *Kézaio*.
- 24) Supple e ceteris: transcurrit.
- 25) *Kézai*, ut vidimus, Togora scribit. Ceteri cum nostro consentiunt. *Dubn.* tamen lapsu transcriptoris Tagatha habet.
- 26) Loco „plures“ cum *Chr. Vienn.* pone: silvas.
- 27) *Kézai* locum hunc, ceteris chronicis a nobis citatis communem, sic contrahit: „propter quod nec romani Caesares, nec magnus Alexander, quamvis attentassent, potuerunt in eam introire.“
- 28) *Chr. Vienn., Bud. et Dubn.* cum nostro *lata* habent: *Kézai*, rectius sane: leta (laeta).
- 29) *Chr. Vienn., Bud. et Dubn.*: legisfalk; *Turóci*: legisfalck; *Kézai*: legerfalc: error, qui ignorantia librorum hungaricorum, utpote germanicae linguae expertium, loco *Iegerfalk* irrepsit.
- 30) Apud *Kézai* et ceteros: appellatur.
- 31) Hic inseruit *Kézai* locum, in hoc nostro Poseniensi chronico, sicut et in reliquis, superius ad notam 29) contentum; iniicit una ex propriis celebrem CVIII generationum commemorationem, provocando una ad appendicem suam *de nobilibus advenis*.
- 32) *Chr. Vienn., Dubn. et Turócius* habent: CCCLXXIII, *Kézai* vocabulo exscribit: septingentesimo; *Bud.* cum nostro CCCXXVIII.
- 33) *Kézai*: Wela, Thele filius, ex genere Zemein; *Chr. Vienn.*: Wele, filio Chele, de genere Zemein; *Chr. Bud. et Dubn.*: Bele, filio Chele, de genere Zemeyn; *Turócius* demum: Bele, filio Chele, de genere Zemen.
- 34) Apud *Kézai* legitur: Cuwe; in *Chr. Vienn., Bud. et Dubn.*: keue et kadicha; apud *Tur.*: Keme, sine dubio pro Kewe.
- 35) *Kézai* habet: Ethela, Bendacuz filius, cujus fratres Reuwa et Buda . . . de genere Erd; et cum hoc fere *Chr. Bud.*: Atile, Keue et Buda, filii Bendekuz, de genere Erd. Ex alia parte *Chr. Vienn. et Dubn.* scribunt: Ethele, kewe et Buda, filii Bendekuz de genere kadar; et *Turócius* Atilam, Kewe de Budam, filios Bendegicz, de genere Kadar.
- 36) *Chr. Vienn., Bud. et Turócius*, aequae ut noster, hic habent hunc locum, quem *Kézai* tardius inserit.
- 37) *Chr. Vienn.* rectius Turda, *Bud. et Dubn.* recentiori scribendi et pronunciandi modo: Torda. *Turócius* genus reticet.
- 38) *Kézai, Chr. Vienn., Bud. et Dubn.*: Geyche; *Turócius*: Geise.
- 39) Locum in annotatione 36) memoratum *Kézai* hic iniicit: ceteris, *Turócio* etiam, nostri Poseniensis ordinem sequentibus.
- 40) *Kézai* et *Chr. Vienn.* Macrinum scribunt; *Bud., Dubn. et Turócius* Matrinum.
- 41) Erronee, pro Materno.
- 42) Alia chronica, et nostrum hoc paulo inferius, Potencianam habent; *Kézai* in solo cod. *Eszterh.* et ibi etiam semel tantum: Potenciam.
- 43) In ceteris chronicis Sicambria legitur.

- ⁴⁴⁾ Erronee scriptum pro Tawarnukwelt, aut rectius: . . . welg (seu völgy). *Kézai* etiam: Tawarnucweg, *Bud.*: tauarnokuelgy, *Dubn.* tauarnok uelghy habent. E contra *Chr. Vienn.*, sec. XIV. descriptum, iam recentiore utitur forma: Tarnukuolg; *Turócius* itidem: Tarnokwelgh.
- ⁴⁵⁾ *Kézai* solummodo „in sua . . . tabernacula“ habet. *Chr. Vienn.*, *Bud.* et *Dubn.* cum nostro congruunt.
- ⁴⁶⁾ Rectius cum *Vienn.* et ceteris: Rastas.
- ⁴⁷⁾ *Kézai* hunc locum non habet.
- ⁴⁸⁾ *Kézai* vetustam formam: Cuve azoa habet, *Chr. Vienn.* utique recentius: Kewe oza, *Bud.* et *Dubn.* cum nostro fere: keuehaza. *Turóci* utramque, mediam scilicet et novissimam formam adnotat: „Keweoza vel Kewehaza“. Plebs hucadusque villam Sancti Petri, necropoli huic Hunorum adiacentem, antiqua partim, partim corrupta pronuntiatione: *Keázó* vel *Kajászó-Szentpéter*, appellat (Conf. cl. Erdyi academicam dissertationem in *M. Acad. Értesítő* Anni 1847. pag. 283.).
- ⁴⁹⁾ *Kézai* scribit Cezunmaur, *Chr. Vienn.* sic, et iterum Cezumaur; *Bud.* et *Dubn.* Cezmaur. *Turócius* demum verum literae C in nomine hoc sonum ignorans: Kesmawr.
- ⁵⁰⁾ *Cod. Esterházyanus Kézaii*, ceterique chronographi, rectius: interempto.
- ⁵¹⁾ Locum hunc omnibus citatis chronicis communem *Kézai* non habet.
- ⁵²⁾ *Chr. Vienn.*, *Bud.* et *Dubn.* interserunt: „Titulum siquidem suum tali sub forma scribi faciebat.“
- ⁵³⁾ Hunc ceteris, *Turócio* etiam, communem locum *Kézai* itidem non habet.
- ⁵⁴⁾ Corrige ex omnibus aliis: teter.
- ⁵⁵⁾ *Kézai* interserit: „cum Hunis“.
- ⁵⁶⁾ Erronee pro: tenere.
- ⁵⁷⁾ Exmisit librarius vocem: *decies* (nempe centenis millibus), quam ceteri omnino habent.
- ⁵⁸⁾ Hic etiam noster cum *Vienn.*, *Bud.*, *Dubn.* et *Turócio* congruit; *Kézai* simpliciter: „ferens (gens hunorum, nempe) arcus, cultros et lanceas“ habet.
- ⁵⁹⁾ Sic et *Chr. Vienn.* — *Bud.* et *Dubn.* balnerium scribunt; *Kézai* et *Turóci* „banerium“ corrigunt.
- ⁶⁰⁾ Sic *Vienn.*, *Bud.* et *Dubn.* — *Turóci* corrigit: asturis. *Kézai* duntaxat *avis* habet.
- ⁶¹⁾ Locum hic *Kézai* interpolat, quem nulla alia compilatio, nec *Turócius*, habet; quique sat notabilis, ut huc exscribatur: „Civitatum, castrorum et urbium dominus fieri cupiebat, et super illas dominari, habitare vero in ipsa contempnebat; cum gente enim sua in campis cum tabernaculis et bigis incedebat. Extera natio, que eum sequebatur, in civitatibus et in villis. Indumentorum vero modus et forma, sibi et gente modum Medorum continebat.“
- ⁶²⁾ Sic etiam *Kézai*; *Chr. Bud.* et *Dubn.* scribunt: Zeuuen, puta (cum cl. Jerneyo) Sövény, quod hucadusque nomen Sövényháza gestat, praedioque Puzta-Szer, per conventum hungarorum, qui sub Arpado leges regni fundamentales condidit, nobilitato contiguum est. *Chr. Vienn.* et *Turócius* locum, ubi Atila congregationem hanc suorum celebravit, reticent.
- ⁶³⁾ Supple, cum *Chr. Vienn.* aliisque: accedere.
- ⁶⁴⁾ Loco *Buda* ceteri chronographi habent: illiricos.
- ⁶⁵⁾ *Chr. Vienn.*, *Bud.* et *Dubn.*, ipse *Turócius* etiam, Constantiae *regnum* habent, perperam utique. *Kézai* recte: *Rhenum* Constantiae pertransivit.
- ⁶⁶⁾ Sic etiam *Kézai*, at perperam. Chronica citata, barbare licet „muraretur“ habent.
- ⁶⁷⁾ *Kézai* rectius: Luxouium (Luxeuil).
- ⁶⁸⁾ *Kézai* et *Vienn.* Bizanciam, *Bud.* et *Dubn.* Bisantium, *Tur.* Byzantium scribunt (Besançon).
- ⁶⁹⁾ Chronica cetera Masticonem, Masticoniam scribunt (Macon).
- ⁷⁰⁾ Sic *Kézai* etiam; ceteri Ligonem habent. Schwandtnerus nomen hoc cum Ligonibus (Langres)

- idem esse collimat, quod ego quidem mihi ob discrepantiam locorum persuadere non possum. *Burgondam* etiam non, cum hoc, provinciae, sed urbis Bourg nomen esse convictus sum.
- ⁷¹⁾ Apud *Kézai* locus hic corruptus sonat: Lugdulum Burgundie. Optime ceteri habent cum *Chr. Vienn.*: Lugdunum (Lyon).
- ⁷²⁾ Corrige: Cathalaunos.
- ⁷³⁾ *Kézai*: Miramammonam; *Chr. Vienn.*: Miramommonam; *Bud. et Dubn.*: Miramannionam; *Tur.*: Mirmammon.
- ^{74, 75)} Corrige: Sibilie (Sevilla).
- ⁷⁶⁾ Omnes, *Kézai* etiam (excepta tamen lectione Podhradczkyana, minus iusta) rectius legerunt, et quidem *Kézai*: Maroquiam, *Vienn.*: Marrachiam, *Bud. et Dubn.*: Marrochiam, *Turóci*: Marochiam (Marocco).
- ⁷⁷⁾ *Chr. Vienn.*, *Bud. et Dubn.* Eucium scribunt; *Kézai* Ecium, *Tur.* Ethium pro Aetio.
- ⁷⁸⁾ Corrige ex *Kézaio*: abrupto.
- ⁷⁹⁾ Ita, cum nostro, ceteri etiam chronographi; *Kézai* solummodo: quae absens fuerat.
- ⁸⁰⁾ *Kézai* scribit: Beluider, *Chr. Vienn.*: Bewinde, *Bud. et Dubn.*: Beuinder; noster paulo serius: Wewinder (Vienne? a qua urbe vicus Chalonnay non procul distat).
- ⁸¹⁾ Ita etiam *Vienn.*, sed erronee omnino pro: maximus (rex nempe), sicut *Bud. et Dubn.* habent.
- ⁸²⁾ Locus hic ceteris etiam chronographis, praeter *Kézai*, communis; demta tamen parenthesi, quam nullus habet. *Kézai* hoc loco in hunc modum scribit: „Erant enim soli Huni praeter exteris nationes CCC millia, XXX millia et XXXII Huni.“
- ⁸³⁾ Omnes alii habent: Spani.
- ⁸⁴⁾ Solus *Kézai* scribit Ispaniam.
- ⁸⁵⁾ *Chr. Vienn.*, *Bud. et Dubn.* erronee: Bractanorum scribunt. *Kézai et Turócius* cum omnibus legendariis „Brittanorum“ habent.
- ⁸⁶⁾ Corrige: Danos.
- ⁸⁷⁾ *Kézai* rectius: Norvagos.
- ⁸⁸⁾ Omnes codd. nostro assentiunt. *Kézai* „preliante“ habet.
- ⁸⁹⁾ Supple: et.
- ⁹⁰⁾ *Kézai* nomen hoc reticet; reliqui utique Budavara scribunt.
- ⁹¹⁾ *Kézai* vetusta hungarorum orthographia Echulburc scribit; *Chr. Vienn.*: Eccylburg, *Bud. et Dubn.*: Ecilburg, *Tur.* Eczelpurg.
- ⁹²⁾ Supple: seu.
- ⁹³⁾ Chronica cetera pariter hic addunt: *die ac nocte*; *Kézai* idem, sed paulo serius.
- ⁹⁴⁾ Supple e ceteris: id est. *Kézai* nomen hungaricum hic non habet.
- ⁹⁵⁾ *Kézai*, et cum illo *Chr. Bud. et Dubn.* habent iadriae; *Vienn.*: ydrie.
- ⁹⁶⁾ Nonam habet, cum *Kézaio*, *Chr. Vienn.* etiam, et *Turócius*. E contra *Bud. et Dubn.* minus recte Novam scribunt.
- ⁹⁷⁾ *Chr. Vienn.*, *Bud.*, *Dubn.* Sceniam; *Kézai*: Senam scribunt. *Pray* recte corrigit Segniam.
- ⁹⁸⁾ „in ipsam“ corrige e *Kézaio* et ceteris.
- ⁹⁹⁾ *Kézai*: fatorum. Ceteri chr. cum nostro consentiunt.
- ¹⁰⁰⁾ *Kézai et ceteri* rectius habent: tycini.
- ¹⁰¹⁾ Corrige, itidem e ceteris: Marchiam.
- ¹⁰²⁾ Solus *Kézai* habet hic: Catholicos, et rectius quidem.
- ¹⁰³⁾ Hoc intercisum tantum noster habet.
- ¹⁰⁴⁾ Integrum hoc punctum *Kézai* tardius inserit; ceteri cum nostro eandem seriem sequuntur.

- ¹⁰⁵⁾ Corrige e ceteris: imitatus.
- ¹⁰⁶⁾ *Turóci* corrigit: Bactrianorum. Nomen vero uxoris *Chr. Vienn.*, *Bud.* et *Dubn.* scribunt: *Micolch*; *Kézai*, cum nostro fere, *Micol*.
- ¹⁰⁷⁾ Male utique, pro *Kriemhilde*. *Kézai*: *Cremildi*, *Chr. Vienn.* *Crumheldina*, *Bud.* et *Dubn.*, *Crimiheldina*. Serius vere, aequè pro *Kriemhilde*, noster *Remheled* scribit.
- ¹⁰⁸⁾ Supple e *Chr. Vienn.*: inter.
- ¹⁰⁹⁾ Nescio, quid sibi haec verba: „ex adverso“ hic loci velint; quae de cetero noster cum *Chr. Vienn.* communia habet.
- ¹¹⁰⁾ Corrige e ceteris: traduxit.
- ¹¹¹⁾ Corrige e ceteris: ad.
- ¹¹²⁾ *Chron. Vienn.*, et cum hoc *Bud.* et *Dubn.* interserunt: „Dum enim hungaros iterato in pannoniam redire cognouissent, in rutheniam eis occurrerunt, conquestrantes simul pannonie regionem. Ubi tandem in eadem sorte remanserunt.“
- ¹¹³⁾ Hic *Chr. Bud.* et *Dubn.* cum nostro conveniunt; *Kézai*, *Chr. Vienn.*, et post hoc *Turóci* adiiciunt: „Cum ergo *Chaba*, adiens in *Scythiam*, nobilitate genitricis in communi se jactaret: *Hunorum* nobilitas ipsum contemnebat, asserentes: eum non esse verum alumnum Regni *Scythiae*, sed quasi *Missitalium* exterae Nationis. Propter quod ex *Scythia* uxorem non accepit, sed traduxit de gente *Corosmina*.“
- ¹¹⁴⁾ Corrige: multitudine.
- ¹¹⁵⁾ „*Marahanis*“ certo scribere voluit, et rectius omnino *Kézaio* et cet. omnibus, qui *Messianos* habent.
- ¹¹⁶⁾ Corrige e ceteris: *Tatam*.
- ¹¹⁷⁾ Locus hic de *Suatopluco Chronico Bud.* cum nostro communis. *Kézai*, his amplior est, magis adhuc *Chr. Vienn.* et *Dubn.*, mutato tamen paululum ordine narrationis.

AD

LIBRVM II. SEV CHRONICON DVCVM ET REGVM STIRPIS ARPADIANAE.

(Pag. 20—42.)

- ¹¹⁸⁾ *Chr. Vienn.* „*Degestis*“ habet, aequè erronee, pro: *Digestis*, sicut ceteri recte.
- ¹¹⁹⁾ Lapsu librarii loco: *Eunodbilia Chronici Vienn.*, aut *Ennodbilia Chr. Bud.* et *Dubn.* (*Anon. Belae R.* Not. *Eunedubelianum* vocat patrem uxoris *Ugek*, quam hic auctor *Emesu* appellat.)
- ¹²⁰⁾ Itidem erronee, pro genuino: *Alm*, quod *Chr. Vienn.*, *Bud.* et *Dubn.* habent. *Turócius* iam, recentiori forma, *Alom* scripsit. Sic tardius etiam pro: *Alin*, *Alini*, *Alinus*: *Alm*, *Almi*, *Almus* legendum.

- 121) Apud omnes ceteros: Ethei habetur.
- 122) Lege: Berend.
- 123) Erronee pro Wolug, aliorum Bolug (Balog).
- 124) Corrige: Lehel.
- 125) Apud ceteros: Thana.
- 126) Corrige: intraverunt.
- 127) Erronee pro: herdewelue, id est recentiore orthographia: erddelve: regio transsylvania.
- 128) Periarum, beriarum — interpretatur cl. Podhradczkyus — seu campestem; beria enim aevi medii scriptoribus locum planum, campestem significat. *Chr. Vienn.* habet: pariarum.
- 129) Corrige e *Chr. Vienn.*: in utrem.
- 130) Lege: sabuli.
- 131) Hic loci incuria transscriptoris integra fere pagina omissa est, quae e ceteris chronicis — praeter Kézaianum, quod traditionem hanc non habet — suppleri potest.
- 132) Corrige: Chaak.
- 133) Corrige: Sarolt.
- 134) Corrige e *Chr. Vienn.*: Nyr (hodie Nyír).
- 135) Lege: Werbulchu (Vérbölcso).
- 136) Lege: Vrs (Örs).
- 137) Corrige iuxta *Chr. Vienn.*: Seyo lacum. *Bud.* et *Dubn.* Seo locum habent, minus recte.
- 138) Corrige: Jaak, Akus, Bor.
- 139) Intersere, quod librarius exmisit, e *Chron. Vienn.*, *Bud.*, *Dubn.*: „Assignant enim hanc rationem solam, quam vulgus dicit septem hungaros.“
- 140) Corrige e ceteris: tormentorum.
- 141) Erronee, haud dubie, pro: mogorcak, id est: magyarkák, seu parvi, viles hungari.
- 142) Voces hae duae, sensum turbantes, lapsu librarii, erronee huc irrepserunt, adeoque delendae.
- 143) Hic praeter lacunam codex noster locum simul corruptum, nec tamen parvi momenti, exhibet.
- 144) Corrige: Zentlazar Zegini usque modo nuncupantur.
- 145) Corrige: Ompud.
- 146) Supple: erant.
- 147) Corrige: comitibus.
- 148) Corrige: Jaak.
- 149) Lege: Paznan.
- 150) *Kézai* habet Betse; *Chr. Vienn.* et *Dubn.*: Berse, *Chr. Bud.*: Gerse: *Turócius*: Merse.
- 151) Lege: Guthkeled.
- 152) *Chron. Vienn.*, *Bud.*, *Dubn.* et *Tur.* scribunt: Hadolth, Hodolth. — Ceterum chronographus noster, exmissis rebus, quas hungari sub ducibus Zsolta et Taksony gesserunt, quasque alia chronica enarrant, protinus ad Geysam transilit.
- 153) Hic librarius loco literae D (quingenta) perperam „Dni“ scripsit. Ceterum *Chronicon Vienn.* literis exscriptum habet annum nongentesimum sexagesimum nonum; corrige itaque: DCCCCLXIX.
- 154) Turbatum verborum ordinem iuxta *Chr. Vienn.* sic restitue: totius *ultra silvam* regni.
- 155) In hac paragraphe Kaan, Ban et Kan erronee sunt scripta pro Kean.
- 156) Dele: et.

- ¹⁵⁶⁾ Corrige itidem e *Chr. Vienn.*: patruelis sui filium.
- ¹⁵⁷⁾ Lege: magis.
- ¹⁵⁸⁾ Corrige: Musun (Moson).
- ¹⁵⁹⁾ Lege: Zug Zard (Szögszárd).
- ¹⁶¹⁾ Interpolatio haec, alioquin absurda, nostro propria esse videtur, cum illam nullum e citatis chronicis habeat.
- ¹⁶²⁾ Perperam pro: Nandorffeyerwar *Chronici Vienn.*, Nandurfeyruar *Budensis*, Nandorfeyruar *Dubnicensis*, nandorfeyerwar *Turócii*.
- ¹⁶³⁾ Lege: tendebant.
- ¹⁶⁴⁾ *Chr. Vienn.*, et cum hoc *Turócius*, scribit Zolomerus: *Chron. Bud. et Dubn.* Zoromerus.
- ¹⁶⁵⁾ Hic librarius memoriam regum Steph. III., Ladislai II. et Steph. IV. incuria praeterivit.
- ¹⁶⁶⁾ Corrige: *frater* eius, nempe Stephani III., qui Belam hunc III. in regimine praecessit.
- ¹⁶⁷⁾ Lege: Agriensi.
- ¹⁶⁸⁾ Desunt iterum, quae chronica de Ladislao III., filio Emerici regis, habent.
- ¹⁶⁹⁾ Supple e ceteris: „Huic successit . . .
- ¹⁷⁰⁾ Lege: filii.
- ¹⁷¹⁾ Corrige: Belae.
- ¹⁷²⁾ Ita narrat etiam *Chr. Vienn.*, et post hoc *Turócius*. Secundum *Bud.* eius „corpus Varadini, ad pedes Sancti Ladislai requiescit.“ *Dubn.* hoc posterius sequitur, addita tamen variante lectione nostro chronico congrua, adnotatque ad marginem: „scilicet in altero libro sic reperitur.“
- ¹⁷³⁾ Hoc loco sigla \mathcal{R} apparet in MS., quam cel. *Pray* „Sclavoniae“ interpretatur.
- * Videtur fuisse stabulo praefectus: nam in libro rationum Ludovici II. equorum servi passim Rutheni appellantur. *Nota cl. Prayi.*
- ¹⁷⁴⁾ Sic scribunt etiam *Chron. Vienn.* et *Tur.* E contra *Kézai*, *Bud.* et *Dubn.* hodierna pronuntiatione: Sayo.
- ¹⁷⁵⁾ Lege: Beginarum, sub quibus moniales S. Dominici intelligendae.
- ¹⁷⁶⁾ Lapsu transscriptoris, loco MCCLX.
- ¹⁷⁷⁾ Corrige: MCCLXIII.
- ¹⁷⁸⁾ Lege: graecorum.
- ** Addidit manus aliena: *sive Rudolfo duce austrie primo Comite domus Habsburgice. Nota Prayi.*
- ¹⁷⁹⁾ Legendum: MCCLXXXII. Sic habent *Chr. Vienn.*, *Bud.*, *Dubn.* et *Turócius*.
- ¹⁸⁰⁾ Apud ceteros: merito depravatum.
- ¹⁸¹⁾ Ceteri chronographi vertunt: baronibus.
- ¹⁸²⁾ Corrige: lethaliter.
- ¹⁸³⁾ Locum hunc *Chr. Vienn.* et *Tur.* non habent; *Bud.* et *Dubn.* aptiore loco, utpote sub finem §-i praecedentis, sed ecclesia cathedrali haud commemorata.
- ¹⁸⁴⁾ Hic nomen filiae ducis Estensis incuria scribentis omissa est.
- ¹⁸⁵⁾ Cetera chronica hic pauciores nominatenus adducunt regni principes.
- ¹⁸⁶⁾ Huius regis filiam cetera chronica hic non commemorant.

AD

LIBRVM III. SEV CHRONICON REGVM PER. MIXTAE.

(Pag. 42.—47.)

- ¹⁸⁷⁾ Supple: in.
¹⁸⁸⁾ Corrige: literarum.
¹⁸⁹⁾ Supple e *Vienn.* et ceteris: *episcopus hostiensis et cardinalis.*
¹⁹⁰⁾ Supple: qui.
¹⁹¹⁾ Corrige: regni a.
¹⁹²⁾ Vtique legendum cum *Vienn.*: Trinchin.
¹⁹³⁾ Corrige e *Chron. Vienn.* et ceteris: *Kokos*, filius Stephani dicti *porch.*
¹⁹⁴⁾ Supplendum videtur: *Stephanus* filius Bagon. Ceteri, fors minus recte, Bagen habent.
¹⁹⁵⁾ *Vienn.*, et cum hoc *Turócius*, habet annum MCCCXV.; *Bud.* et cum hoc *Dubnicense*: MCCCXVII.
¹⁹⁶⁾ Omnes alii annum MCCCXXVII. habent.
¹⁹⁷⁾ Corrige: campanili.



LETTER TO THE EDITOR OF THE JOURNAL

1912

The Editor,
The Journal,
London.

I have the honor to acknowledge the receipt of your letter of the 14th inst. in relation to the article on the subject of the "..." published in the issue of the 1st inst. I am sorry to hear that you are dissatisfied with the article, but I must refer you to the original article for a full explanation of the facts and figures given. I am sure that a careful study of the original will show that the data are correct and that the conclusions are well founded. I am, Sir, very respectfully,
Yours truly,
[Signature]





